9. 7. 192

Digitized by Google

9
7
192



DOCTÆ
NUGÆ
GAUDENTII JOCOSI,

Conſiſtentes in diverſis narrationibus & eventibus hujus temporis; ſcitu non tàm jucundis ad fallendum tempus occaſione honeſti otii, quàm utilibus ad diverſos hominum mores corrigendos.

1517

Per Riſum
Concluſum eſt contra
MELANCHOLICOS.

SOLISBACI,
Impenſis JOHANNIS LEONARDI BUGGELII. Anno 1710.

Digitized by Google

7.7.192

Digitized by Google

PRÆFATIO
&
DEDICATIO
facta
VIRIS
PARUM INSIGNIbus , tenuiter prudentibus, vix dignis, le-

viter morigeratis, valdè importunis, ſat faſtidioſis, vehementer ſtolidis, ſæpè Lunaticis, non rarò delirantibus, admodùm mente captis, ſemper incompoſitis:

Antonio Langweilio:
Bernardo Triſti:
CaroloMelancholico:
Dyoniſio Marcolffo:

Er-

Erhardo Squallido:
Franciſco Malcontento:
Georgio Solitario:
Hugoni Spleneti-co:
Juvenali Moroſo:
Kiliano Cogitabundo:
Leonardo Afflicto:
Martino Mœrenti:
Nicolao Stupido:
Oſwaldo Goffo:
Paulo Simplici:

Quirino Saurtopffio:
Rudolpho Schnekio:
Sabino Doloroſo:
Thomæ Anxiato:
Urbano Scrupuloſo:
Wolffgango Deſolato:
Xerxi Phantaſtico:
Ypſilonio Cornuto:
Zenoni Deſperabundo:

Gaudium, pacem, conſolationem & riſum exopto.

VI-

VIRI

ut ſuprà.

NOviſtis meam erga vos perpetuam & irradicatam Antipathiam, ſiquidem in Democriti ſcholâ inſtructus ad omnia ridere conſuevi, ubi vos Heracliti Anteſignani veſtri veſtigia ſequentes, rugoſâ fronte omnia cernere ſoletis, pro-

)(4 in-

indè hunc vobis dedico libellum, ut ſi quandò malis avibus à veſtrâ ſolitâ tentabimini triſtitiâ, iſte vobis Panaceæ ſit inſtar, qui in omnibus vos lætificabit.

Gaudete:
Iterum dico:
Gaudete.

A gaudentio nil aliud expectare poteratis, quam gaudia: ſi

ſi jocos quæritis, & nugas invenietis doctas, ubi & ſal ſuæ non deerit aut inventioni, aut reſponſioni, concluſioni, aut narrationi.

Valete:

Hypocondriacum animum ſublevate. Quid triſtitiâ magis humano damnoſum generi?

Opponitis:

Gaudia & recreationes multos requirere ſumptus : en chartacea gaudia, quæ & parùm conſtant, & multùm delectant

Veſter

Si tamen ſapere vultis

Amicus

GAUDENTIUS JOCOSUS.

Vir

Vir reddit mulierem manſuetiorem.

MAritus quidam quotidiè obſtrepentem uxorem ferre amplius cùm non poſſet, rogo te, dixit, mea uxor! quod per quidquid tibi charum ac ſacrum eſt deſinas aures meas poſthac obtundere. In quo niſi mihi parueris, efficies profectò, ut & te nimium quantum obtundi feras ægerrimè. Quaſi ut id faceret intentiùs, viſa eſt hoc monitum mulier accepiſſe. Igitur cùm finem jurgandi nullum faceret, ſed omnibus ejus greſſibus, omnibus negotiis intergarriret, ſingula carpens, ſingula aliter aliterque aggredienda dicens

cens, totâ viciniâ & viri patientiam, & fœminæ inſolentiam admirante, tandem animum commaſculans dolium ingens, & multarum urnarum capax in mediam plateam provolvi juſſit. Quod cur fieret, quia illa deſpicere, apud ſe, non ſatis potuit, nec quid ea ſibi res vellet, divinare, ad mores ſuos reverſa cœpit in eum dicta jacere, imperium exercere, clamare, populo ad vociferationes undique concurrente. Cùm ergo iterum iterumque monita os non comprimeret, cùm magis magisque ſemper contenderet, annuit maritus vietoribus ſeu doliariis, ad id jam antea clam conſtitutis. Signo accepto, robuſti illi mediam correptam in dolium conjecerunt. Hic illa, ad Reguli modum, incluſa, vix cùm ſubſiliret, oculis potuit eminere & tamen velut è cathedra cæpit vocaliſſimè detonare in maritum. Eo igitur alterum ſignum dante, vietores per circulum ambientes malleis tudiculisque dolium, usque ad inſa-

inſaniam mulieris, contuderunt, Illis pulſatione longâ fatigatis ſucceſſerunt pueri, qui cavum dolium ſaxis cædentes, non minore ſtrepitu, quàm clamore, in tertiam usque horam, omnia compleverunt, ſarcaſmum acerbiſſimum addentes, atque præ indignatione inſanientem identidem Diogenis uxorem vocitantes. Mulier ſeu furiis ageret, ſeu prece, rupta intus eſt propemodùm quòd ex hoc gurguſtio emergere prohiberetur, donec maritus ſpectaculo ſaturatus in cauponam conceſſit. Tunc enim capta & dimiſſa eſt, bonâ operâ pretio dolandis perſoluto. A dolio rectâ cucurrit poſt maritum, atque in cauponam ſe intulit, in flammataque vultu ſpumans ſolitis jam diris in maritum erat debacchatura, cum repenti combibones, quod erant edocti, fecerunt. Ita enim ſympotas inſtituerat maritus ut ſi, quod fore augurabatur, illa irrumpens, potantibus ſuperveniret, illi ſine intermiſſione

 can-

cantharorum operculis identidem deblaterantem obtunderent. Hoc ſtrepitu igitur obſtrepentem abegerunt. Non auſa eſt, tàm ſtrenuè exploſa ad hoſpitium reverti. Ibi ergo maritus ad tertium usque diem triumphavit. Pecuniâ deficiente, domum ire paravit, ſed non ſine defenſoribus & comitatu. Septem erant, & crapula adhuc nondum decoctà, ſemiebrii.

Hi omnes, ſub palliis, crepitacula tulêre. Excepti ſunt, una cum reduce Patrefamilias, formulâ ſolenni. Ibi novum certamen extitit, nam illa novum negotium faceſſente, & domum totam clamoribus implente, illico crepitaculorum aſſiduâ comploſione, ex inſanâ reddiderunt inſaniorem, atque ex ædibus fugarunt, utique non revocandam, niſi illa, imploratis cognatorum patrociniis veniam impetrâſſet: quam tamen ei maritus antè non dedit, quàm ſe poſthac Angeronam fore ſpopondit. Addiditque, ni linguam

guam cohiberet, ſe tectis incudem illaturum, quam quatuor valentiſſimi ſonantiſſimè tunderent! ſimulque diſertis verbis, ei denunciavit niſi ſilere diſceret, ſe liberali mercede cum æditituis omnibus transacturum, ut quoties, ipsâ altercante ſignum accepiſſet, omne æs Campanum, per totam urbem, concreparet, atque in hunc modum nemini omnium conſtaret, uxorem ſuam iterum eſſe in fermento, iterum ferocire, iterum intemperiis agitari. His artibus tandem edocta ſilentium ſalutare, potius habuit, noxiâ atque importunâ garrulitate & rixis. Sine plagis ergò domuit beſtiam hanc, & plus effecit dolium verberando, cantharisque & crepitaculis complodendis, quàm ſi illa vapulaſſet.

Plus etiam & illa tacendo quam obſtrependo effecit, juxta conſilium, quod quidam Vir prudens matronis dedit: Si vis imperare viro, pareas: bona enim mulier parendo

 viro,

viro, imperat, & gratior eſt, ſi pareat, quàm ſi pariat. Ita, teſte Dione (in Tiberio) Livia Auguſti Cæſaris uxor interrogata, quibus rationibus Auguſtum ſibi ſubjeciſſet, reſpondit: Multâ modeſtiâ, ſcilicet, quòd ea, quæ placerent Auguſto, faceret libenter; quodque ſe ſcire diſſimularet, quibus ille vitiis implicaretur. Habent ergo & hinc fœminæ remedium, quo viros ſuos ſanent, redantque ſibi obſequentes.

Fames optimum eſt condimentum.

DElicatus quispiam, & gulæ ventrique deditus, cùm nunquam fameret, tantum ea ori admovebat, quæ palato blandiebantur, non quæ ſtomacho erant utilia. Accidit aliquando, ut ad lautitias epularum invitaretur, quod abeſſet ab urbe longius. Ut ergò aliquando è cibis voluptatem caperet, integram-

gramque ad convivium famem afferret, pridianâ cœnâ abſtinuit. Summo manè ſurgit, ne ſerus hoſpes ad amicum veniat. Dum proficiſcitur, ſpe ſingularium lautitiarum & oppiparim inſtructarum dapum, per ſilvam tranſit; ibi nocturno vento nimboque dejecta pyra, magno numero reperit ſub arbore jacentia; quæ ita ſprevit, ut ea etiam per contemptum lotio aſpergeret. Sed, ut ſæpè conſilia temerè præcipitata, præſumptio cogit retractare, ita & huic evenit.

Cum enim rivus, quâ fuerat tranſeundum, eâ nocte ſubitò ad tantam altitudinem excreviſſet, ut cùm manifeſto vitæ diſcrimine ille ſe aquas ingreſſurum intelligeret, impranſus longiore viâ redire, triſtisque coactus eſt: Itaque poſt ereptam ſpem copioſi cibi, tam longum jejunium tolerare inſuetus, acerrimè eſurivit. Nullum erat in toto eo itinere hoſpitium, ad quod diverteret, nulla domus, in quâ la-

 tran-

traſtem ſtomachum & talem injuriam ferre non ſolitum placaret. Itaque cum ad pyra ſylveſtria, quæ dudum rore non cœleſti irrigaverat, veniſſet, magnâ aviditate collecta deterſaque arroſit, perſpicuo documento faſtidii & contemptus, cujus mortales juſtiſſimas dant pœnas, dum coguntur appetere & amplecti, quæ paulò antè ſpreverunt, & abjecerunt. Cultus hic contemptor ut modeſtus fieret, & vili apparatu diſceret eſſe contentus, non aliâ re meliùs, quàm fame potuit domari.

Declinationes Diaboli.

Diabolus docet diſcipulos ſuos per omnes caſus declinare:

PEr Nominativum ſuperbos:
Per Genitivum libidinoſos:
Per Dativum prodigos:
Per Accuſativum detractores:

Per

Per, Vocativum calumniatores.
Per Ablativum, fures & Raptores.

Curioſitas generis fœminini.

PRinceps quidam magni nominis opiparum aliquando convivium inſtruxerat: in quo dum varii ac feſtivi ſermones ultro citroque miſcebantur, inter alia quoque fecerant mentionem curioſitatis fœminarum: ubi vir quidā præcipuæ nobilitatis auſus eſt dicere, tantam eſſe hodię mulierculárum noſtrarum curioſitatem, ut ſi eæ quondam in paradiſo fuiſſent, non unum duntaxat malum fuiſſent guſtaturæ, veruntamen potius omnia & ſingula vetita arboris poma comeſturæ. Hanc viri ſermonem cùm nobiles fœminæ, quæ convivio ſimul intererant, ægerrimè tuliſſent; quod utrique futurum ipſe haud vanè præſenſerat; quo dictam ſemel à ſe ſententiam confirmaret, ſubdidit: Fortè an adhuc ante ejus rei experimentum capi licere quam à ma-

ſâ ſurgeretur. Deinceps ille ſine morâ coquo in mandatis dederat, ut lautum aliquod artocreas appararet, & quàm poſſet celerrimè imponeret menſæ; priùs verò, quàm ferculum id menſæ inferret, vivam inderet aviculam. Quid fit? Strenuè mandata exequitur coquus: paratum artocreas, incluſâ prius vivâ volucre, poſt alia fercula menſæ imponit. Omnes convivæ, quotquot aderant, artificioſum tucetum oppidò admirabantur, utpote aſpectu pulcherrimum; neſcii tamen, quid intus lateret, præter Principem, ac quorum intererat, eam agere fabulam. Hoc ferculum cum aliquamdiu in Principis menſâ ſtetiſſet, ac nemo ſtructorum (ex compacto) id diſſecare vellet; deinceps quoque menſæ, cui nobiles fæminæ accubuerant, integrum imponebatur. Quæ cum non minus pretioſum illud ferculum admirarentur, oculoſque curioſos jam ſatis ſuperque paviſſent, tandem quoque cupido

do inceſſit animo, ut noſſe caperent, quodnam condititium edulium in illo reconditum eſſet? Res verò ex compoſito gerebatur, ac prohibitum erat ſtructoribus, ne ullus, etiamſi nobiles fœminæ id poſtulaturæ eſſent, tucetum diſcinderet aut divideret. Cùm igitur nemo famulorum artocreas illud diſſecare vellet etſi fœminæ id vehementer etiam atque etiam peterent, haud ſibi amplius curioſæ mulieres temperare poterant, quin deſiderium hoc ſuum explerent; ipſæmet igitur junctis viribus artocreas aggrediuntur, diſſecturæ, ſi valerent, ac quid edulii in eo reconditum eſſet, exploraturæ: id quod dudum Princeps cum cæteris convivis arcani ejus conſciis magno cum deſiderio præſtolabantur. Quamprimum artocreas à curioſis mulierculis cultro adapertum fuerat, ecce tibi! incluſa avicula mox abiit, exceſſit, erupit, evaſit, avolavit. Quod cum Princeps cæterique aulici conſpicati eſſent, repentè ingens

riſus toto triclinio obortus eſt: cumque curioſæ fæminæ hâc illecebrâ ineſcatæ atque in ruborem datæ fuiſſent, præ omnibus exultavit aulicus ille nobilis, qui nuper admodum in hujus ſexûs curioſitatem invectus erat, quo aſſertionis ſuæ tam feſtivum atque extemporaneum ſpecimen capere licuiſſet.

Fraus Chirurgi.

CHirurgus quidam habitabat Pragæ Carolus nomine; qui non modo vulnera curare, ſed inſuper crumenas purgare, & exinanire ſolertiſſimè noverat. Ad hunc ruſticus, cui alter oculus contuſus, ut nihil planè videret, ſanationis causâ acceſſit. Chirurgus tametſi intelligeret actum eſſe, & laborem fore inanem, nihilominus ut infelicem emungeret, & is cum oculo pecuniam quoque ſuam amitteret, ſpem bonam facit; quinque aut ſex dierum ſpatio oculum ſe reparaturum pro-

promittit : in anteceſſum ſatis magnum, ac pænè dimidium pretium numerari poſtulat: ac deinde in dies ferè ſingulos aliquid ampliùs, adeò, ut ruſticum exhauriret, ingemiſcentem, curationem produci longiùs, nec tamen ſibi fieri melius. Quare conqueri cum Medico iſto, teſtarique, non aliter ſibi eſſe, quàm ſi oculum non haberet. Ubi olfecit Carolus rem iſtam: Egone vulnus tuum tam olidum gratis abſterſerim, unxerim, obligaverim? Ego, ut alterum oculum ſanum retineres, gratis curaverim? Quid? putas DEO placere, ut duobus oculis cernas, non ſecus quàm Principes, Nobiles, cives, & viri honorati? Ne te iſta ſubeat cogitatio. Abi proinde in malam rem. Conterritus hâc importunitate ruſticus recedit: querelam omittit: cauſæ ſuæ diffidit. O deceptor! ruſtico ſpirare in fundo nummos, nec reſtare, quod emungeret; Frater, inquit, utendum eſt patientiâ: unum ami-

ſiſti oculum ; ejus recipiendi nulla ſpes : DEO gratias age, quod alterum ſanum retineas. His auditis, ruſticus flere, Magiſtro dolum malum objectare, pro fure reprehendere ; diem illi apud Principem dicturum comminari. Ille ut cauſæ ſuæ colorem adderet, iraſci, & miſerum hiſce verbis duriter aggredi cæpit: Tune domum meam gratis tamdiu, tam tetro doore occupaſti ?

Pauper tonſus amore DEI.

MEndicus quidam circumforaneus certum tonſorem peritum atque præſtantem adibat, ſummis eum precibus per communem mortalium omnium Creatorem DEUM rogans, ut ſibi Iro pauperiori tum comam, tum barbam etiam reſecare haud gravaretur. Chirurgus, qui miſero huic capillitium impexum, promiſſum, lendinoſumque,

que, ac barbam inſuper mirum in modum ſquallidam, horridam, & pediculoſam eſſe conſpiceret. Sic quidem, ut nihil ab ipſo præter ſordes & pediculos eſſet expectandum, hoc modeſtè illi detractat, eleemoſynâque aliquâ ei oblatâ, jubet, ut ad alium quempiam commeet, ſeque tondentum curet. Mendicus, quod à plerisque omnibus Reipublicæ iſtius tonſoribus protedatus repulſusque eſſet, ſtipem hanc minimè omnium accipit, ſed inſtat urgetque, ut ſtipe iſtâ reſervatâ ſibi, propter DEUM cæſariem barbamque decurtaret; fore hoc ſibi officium aliâ quacunque etiam liberaliſſimâ eleemoſynâ longè gratius atque jucundius. Quamobrem chirurgus ſentiens, mendicum nullum neque modum neque finem obſecrandi facere, precibus illius ad extremum locum relinquit, ad tondendumque illum, licet animo admodum invito & repugnante, ne dicam iracundo, accingitur: Ut ne

ne verò mendicus impoſterum ad ipſum rediret, idemque fortè peteret, is novaculâ bonâ rejectà, hebetem ac retuſam in tondendo ipſo adhibet uſurpatque, atque his quidem miſerum iſtum radit, excoriatque, ut & ſuſpiria ex intimo ventre traheret, & dentibus fremeret, & femur percuteret, & tantum non lacrymas funderet. Interea verò dum Mendicus eum ad modum deglubitur, ecce tibi canis quiſpiam in culinam per feneſtram fortè tum apertam inſilit, cremorem, ita ut antehac non parum quidem ſæpè factitârat, de lacte, quod ad focum calefiebat, devoraturus. Quod conſpicata chirurgi uxor, quæ jam tum in fermento tota jacebat, propterea quod ille mendicum tonderet, qui hypocauſtum ſordibus pediculiſque oppleturus eſſet, occluſâ mox moxque & feneſtrellâ & januâ, arreptâ furcâ, canem probè probèque dedolat, ita quidem, ut perquam miſerabi-

rabilem latratum ululatumve ederet. Quo mendicus audito hanc in rationem tonſorem hunc ſuum affatur: Næ, & hic quidem gratis amore DEI tondebitur: His quidem verbis innuens, ſe à chirurgo non multò liberaliùs clementiusque tractari, quam illius uxor canem iſtúm acciperet. Atque non ita multò poſt, omni gratiarum actione poſthabitâ, chirurgo valedicit, minimè omnium diſſimulans, ſe per omnem reliquam vitam ad ipſum haud rediturum eſſe, ut gratuitam tonſuram porrò ab eo emendicaret, ullamve ullo unquam tempore eo nomine moleſtiam ei exhiberet. Amore DEI omnia ſuperficialiter aguntur, cujus honor & amor quempiam ad ardua omnia incitare & promovere debet.

(o)

Non-

Nonnulli Lurcones Chriſtum & Apoſtolos repræſentant.

A vicino noſtro Principe detinetur in vinculis Chriſtus, cum ſuâ Mariâ & Petro, ut ajunt: de Chriſto certum eſt: is celebris fur eſt Chriſti perſonam induens, & ſedecim, ut fama eſt, habuit Apoſtolos, quos in ruſticos emiſit, ut cleperent. Nuper in certâ præfecturâ præmiſerat ſuum Petrum ad divitem molitorem, ut Chriſto de cœlis venienti, & pœnitentiam impiis prædicaturo, hoſpitium pararet. Recipitur Chriſtus cum Petro, apponit molitor ſicci tergaſuis rara pendentia crate, ut Satyricus ait, & quidquid habebat Chriſtus delicatiora deſiderans, jubet Petrum ad vicinem ſalicem exire, ubi aſſaturam inveniat, facit imperata Petrus, & adfert aſſatum anſerem cum pane albo ex ſalice, in quam hæc prius repoſuerant hi Apoſtoli, miratur Moli-

Molitor, & lautè cum ipſis veſcitur. Jubetur dein Petrus, haurire è proximo canali aquam in lagunculâ coriaceâ, & adferre, ut Chriſti benedictione in vinum mutetur: hoc quoque facit Petrus inſpectante ruſtici ſeu molitoris famulo, qui putabat lagenam aqua impleri, neſcius anteà vino plenam. Adfertur aqua ut putabatur, benedicitur, effunditur, guſtata vinum ſapit. Miratur molitor, jubetur & ipſemet facere periculum. Mittitur ad hortnm, ut aliquot arbores quatiat, ex quibus pecunias & varia miſſilea ipſi promittit Chriſtus. Molitor imperata facit, & omnia ex arboribus decidunt juxta promiſſum Chriſti illius, qui ea prius arboribus impoſuerat. Beatum ſe cenſebat molitor, qui talem hoſpitem, ipſum & Chriſtum, tam beneficum excepiſſet, & expertus eſſet. Tandem Chriſtus, Oportet, inquit, ut hoſpiti gratiam aliquam referamus qui tam humaniter nos recepit, Age

Age ergo, ô hoſpes! ſi aliquot thaleros domi habes, decem vel circiter eos adfer; per meam enim potentiam multiplicabuntur, ut pro decem recipias viginti. Credulus & cupidus molitor, affert quadraginta thaleros, & rogat Chriſtum, ut eos multiplicet, quò recipiat octoginta. Largè promittit hoc, Chriſtus pecuniam Petro tradit, qui miraculum conficiat. Is petit vas ſibi porrigi, impoſitosque thaleros in vaſe ante oſtium domûs rotat, agitat, circumvolvit, ac ſi arenam mundaret, molitore interim cum Chriſto in hypocauſto reditum Petri expectante. Sed Petrus, cùm tempus ſibi favere putaret, cum viginti thaleris ſe ſubduxit. Chriſtus ſurgit, & oportet, inquit, videre, quomòdo negotium ſuccedat Petro: ſed molitor ſedeat, inquit, Dominus meus Chriſtus: Petrus haud dubiè re confectâ revertetur. Cæterùm cùm diutius moraretur Petrus & Chriſtus denuò exi-

exire vellet ; Molitor fraudem animadvertens, arreptâ ſecuri eædem Chriſto minatur, ſi ſurrexit de loco : convocatiſque aliis Ruſticis, Chriſtus capitur. Evaſit Petrus : quem tamen jam quoque captum putant.

Quondam hi verſus facti fuerunt, dum Chriſtus Salvator totius mundi inter duos crucifixus latrones in quâdam Eccleſia videri poterat :

Imparibus meritis tria pendent
corpora ramis :
Diſmas & Geſtas, medio eſt divi-
na poteſtas :
Geſtas damnatur, Diſmas & ad
aſtra levatur.

Sed his fictis ſanctis in patibulo pendentibus ego pono carmen :

Una fuit mens noſtra ſimul fuit
una voluntas :
Funera poſt, tumulus corpora
& unus habet.

Ju-

Judex Juſtitiam Judæo administrans.

COnſtantinopoli Chriſtianus à Judæo quingentorum Ducatorum ſummam mutuam acceperat, hâc conditione, ut loco tributi tempore ſtatuto, carnis de proprio corpore deciſæ quatuor uncias traderet. Ubi verò tributi pendendi tempus appropinquaſſet, Chriſtianus illud exſolvere excuſabat; Judæus juri ſuo minimè ceſſurus ad Imperatorem Turcicum appellavit. Imperator Juſtitiæ Obſervator rigidiſſimus, querelis, iisque ſuccedentibus reſponſisque perceptis, ne tu, inquiebat Judæo, juſtitiam tibi denegandam exiſtimes, abſcinde uncias quatuor de carne debitoris tui, ſed exceſſum vel defectum minimum cum vitæ diſpendio cavebis. Judæus tot proprii corporis carnium libras quatuor alienæ carnis unciis præfeceſſirens libenter juri ſuo ceſſit.

Deſcriptio Convivii.

QUidam Politicus deſcribit convivium, ſic ab initio : *Nemo audebat loqui:* Poſtquam aliquandiu ſedent : Exibat ſermo inter Fratres. *Poſt pabulum replebantur mero.* Tandem ; *Loquebantur variis linguis.* Ultimo : *Ibant , qua poterant.*

Pictoris Reſponſio.

PIctor quidam celeberrimus, aliquando in illuſtrem civitatem devenerat , ibidem pictura artificioſiſſima , aut ad hujus confuſionem aut ad eandem imitandam, viſenda exhibebatur : referebant, pictorem imaginis hujus in Hoſpitali obiiſſe, ad hæc ille telum hoc ſibi intentatum ſentiens, minimè, inquiebat, pictori operis hujus probroſum eſt , ita miſerè ſatis obiiſſe , vobis autem ſummo dedecori , quod virum , qui nomen civitatis veſtræ ab

ab interitu vindicaſſet, adeò deſertum hoſpitali tradideritis.

Ridicula Epiſtola.

SAlutem amicabilem & ſervitutem incredibilem. Venerabile Domine, quia dicit Ariſtoteles in prædicamentis: de ſingulis dubitare non eſt inutile. Quapropter eſt una res, quæ facit mihi magnam conſcientiam. Nuper fui in miſſa Franckfurdienſi, tunc ivi cum uno Baccalaurio per plateam ad forum, & obviaverunt nobis duo viri, qui apparuerunt ſatis honeſti, quantum ad aſpectum: & habuerunt nigras tunicas, & magna caputia cum liripipiis ſuis, & Dii ſunt teſtes mei, quod putavi, quod ſint duo magiſtri, & feci ipſis reverentiam deponendo birretum.

Tunc ille Baccalaurius ſtimulavit me, & dixit: amore Dei quid facitis? Ipſi ſunt Judæi, & vos deponitis birretum veſtrum ante eos. Tunc ego ita

ita fui perterritus, ut ſi vidiſſem unum diabolum. Et dixi. Domine Baccalaurie, parcat mihi Dominus Deus, quia feci ignoranter. Sed quid putatis, utrum ſit magnum peccatum? Et primo dixit: quod videtur ſibi, quod eſt peccatum mortale, quia comprehenditur ſub idololatria, & eſt contra primum præceptum ex decem præceptis, quod eſt, unum crede Deum. Quia quando aliquis facit honorem Judæo, vel pagano, quaſi eſſet Chriſtianus, tunc facit contra Chriſtianitatem, & apparet eſſe me vel Judæus vel paganus: & tunc Judæi & pagani dicunt: Ecce nos ſumus de via meliori, quia Chriſtiani nobis faciunt reverentiam. Et ſic fortificantur in ſua fide, & diſpiciunt fidem Chriſtianam, & non permittunt ſe baptizare. Tunc ego reſpondi: Eſt bene verum, quando aliquis facit libenter: ſed ego feci cum ignorantia, & ignorantia excuſat peccatum, quia ſi ſciviſſem quod fuiſſent Judæi,

& feciſſem eis honorem, tunc fuiſſem dignus ad comburendum, quia eſſet hæreſis. Sed neque verbo, neque opere, ſicut ſcit Deus, aliquid novi, quia putavi quod eſſent Magiſtri. Tunc ipſe dixit: quod tamen eſt adhuc peccatum, & dixit: Ego etiam ſemel ivi per Eccleſiam, ubi ſtat unus Judæus ligneus ante Salvatorem, & habet malleum in manu, & ego putavi quod eſt ſanctus Petrus, & haberet clavem in manu, & flexi genua, & depoſui birretum. Tunc vidi quod eſt Judæus, & etiam pœnituit me. Sic poſtea domum ivimus ad farcimina.

Uxor illudit marito.

TRes erant mulieres, quæ convenerant, ut quæ virum ſuum magis infatuaret, grandem pecuniam lucraretur. Prima, cùm vir ſemel dormiret, fecit eum radi, cucculloquè ad hoc comparato veſtivit: cumque ille evigilaſſet, mulier, Dominum

num eum & Patrem appellando, an non cum Confratribus ſuis abire vellet, quæſivit: pagum enim ſuum paulò antè cujusdam monaſterii Fratres vehiculo tranſiverant. Vir primò indignanter uxorem alloquitur, an ipſum ludibrio haberet? Illa, non profectò inquit, Pater Reverende! abſit à me tantum facinus, ſed Fratres veſtri abierunt. Ille raſuram advertens atque veſtem, ſumne ego Colinus (ita enim vocabatur) an non? Uxore vocitante eum Reverendum Patrem, atque perſeverante in eâ appellatione: Ruſticus tandem conſenſit, atque quorſum hi abiiſſent, quæſivit. Quos cùm ex uxoris relatione illo die non conſequi poſſet, illa eum induxit, ut apud ſe manendo, cras divina celebraret. Qui cum acceſſiſſet altare, incompoſitum quendam cantum & ruſticanum incœptabat. Altera Mulier ſuum induxit, ùt nudus omninò ad altare cum oblatione accederet, pro novo ſacerdotio vicini,

cum crederet ſe ex verbis uxoris veſtitum. Tertia verò cum marito ſuo perſuaſerit ipſum mortuum eſſe, feretro impoſitum in templum detulit. Qui cum ſe erexiſſet, vicinumque unum ſacrificantem atque Monachum agentem, & alterum nudum illi offerentem videret, profectò, inquit, niſi mortuus eſſem, has vicinorum meorum ineptias effusè riderem.

Reſponſio ruſtici data Nobili.

SCiſcitans nobilis à Ruſtico, quodnam hi ſuum jucundiſſimũ tempus habeant? Reſp. Ruſticus: in hyeme, ubi poſt menſam & cœnam nos poſt fornacem ponimus. Ergo eſtis ex genere Suum, reponit nobilis, hæ enim etiam poſt cœnam quieſcunt. Reponit Ruſticus, & quærit, quodnam Nobiles ſuum jucundiſſimum tempus habeant? Reſpondet in Majo. Ergo, dicit Ruſticus, eſtis de familia

lia mei Aſini, qui idem tempus celebrat.

Jurgioſa arcetur Mulier.

HAbebat quidam jurgioſam mulierem, adeò ut, ſive ex cauponâ rediret, ſive laboraret aut comederet, maledictis ab eâ impeteretur, quicquid tentavit, ſemper ei mulier maledixit, atque quantò eam frequentius verberaverat, tantò contumelioſior reddebatur, magis jurgabatur.

Quod cùm verbera nihil profeciſſent, aliâ viâ aggrediendam rem putavit, atque quotiescunque ipſa ei maledicebat, nihil movebatur, ſed continuò tibiâ, cujus erat indoctiſſimus, canebat. Quod cùm feciſſet, ipſa acrius maledicere cœpit. Illo verò perſiſtente ſic in propoſito, ipſa præ irâ ſaltare cœpit: quo pergente, ipſa ex manibus ejus tibiam excuſſit, qui cum nihilominus reſumptâ tibiâ ſine commotione ca-

 neret,

neret, Mulier indignatiſſima domo exivit, aſſerens ſe poſthac non perpeſſuram nequitiam viri, & temulentiam illam intolerabilem. Et cùm poſterâ die cum ſolitâ maledictione rediret, vir ad ſolitum cantum reverſus eſt. Quare Mulier ſe victam oſtendens, imprecationibus abſtinuit, benevolentiſſimamque ſe futuram viro pollicita eſt, modo tibiam ſeponeret. Memorabile exemplum, pertinaciam muliebrem variis artibus frangendam eſſe.

Oratoris dexteritas.

QUidam Civis coram Sigiſmundo Duce Auſtriæ oraturus magnum ventris crepitum edidit: quare ad anum converſus, dixit omnibus audientibus: Si vultis vos loqui, non opus eſt oratione meâ; atque nihilo deterritus, proſecutus eſt orationem ſuam. Quod adeò gratum Principi (qui hilaritate gaudebat) erat,

Digitized by Google

erat, ut hominem honeſtiſſimè tractaret.

Placere omnibus nemo poteſt.

SEnex cum Filio ſuo ætate minùs firmo, aſinum ad forum agebant; obvians his: nonne fatui, inquiebat eſtis, quod animal hoc robuſtum ſine onere ſequamini, ubi tamen decrepita ſenectus hujusque tenera Ætas vecturâ indigerent? Ad hæc parens filium Aſino impoſuit, & ipſe equitem ſecutus. Vix lapidis jactu progreſſus alius obviabat: Hic, ô petulcum nebulonem! Ad Filium dicebat, tu Aſino fortis inſides, & parens vix ſpiritum trahens per viarum lubrica incedit, ſed contingit ex merito; quare fatuus ille ſenex conceſſit? Has ut inaudivit Filius calumnias, parenti Aſinum ceſſit. Parens itaque Aſino inſedit, mox ubi ad pagum, per quem Regia ducebat, pervenerant, alius occur-

ſabat, dicens: Proh barbarum & imiſericordem in gnatum, parentem! tu ætate profectus Aſino veheris, & Filius tuus teneræ ætatis Floſculus, vacillante pede inſequi cogitur! Quid hic facere parens, ubi omni ſtudio adhibito culpabiliter tamen ageret: Supererat itaque, ut ambo ſimul Aſino inſiderent, quo facto vix pago exceſſerant, cùm ecce novas ab alio increpationes incurrunt.; Vili certè pretio pendas Aſinum nunc neceſſe eſt, quòd tanto oneri ferendo imparem graves; non eſt quod mireris, ſi exanimis concidat.

Hunc contenturi modum ignorabant, tandem, fili mi! ait parens, ſi nec me ſolùm, nec te multo minùs, nec ambos nos ab Aſino portari conveniat, quid ſupereſt? niſi quòd nos Aſinum feramus? compedem itaque palo apenſum ſuper humeros, ſervato æquilibrio, portârunt. Hâc ſcenâ exhibitâ nemo adeò Stoicus, qui non in riſum largiſſimum effunderetur. Deluſis hoc modo con-

conſilium rareſcebat; quare indignati, eò quod nemini ſatisfacerent, è proximo fonte præcipitem egerunt.

Argutia.

THomas Guadagnius mercator Florentinus, uſitatis etiam hodie artibus tantum lucri fecit, ut Franciſco I. Franciæ Regi quinquies centum ſcutatorum millia mutuo dederit: Hic poſt mortem aliquam ſui memoriam & monumentum relinquere cupiens, Lugduni Noſocomium exſtruere inſtituit. Præparato jam ad fundamenta ſolo, quemcunque amicum aut notum nactus, eò ducebat, conſilium operis quàm poterat optimâ formâ & modo exædificandi, exquirens. Quum verò inter alios aliquando Nicolaum Salterellium Florentinum itidem, hominem facetum & Architectonicæ artis non imperitum, eò duxiſſet eique omnia ædificii lineamenta &

partes commonſtraſſet rogans, ut ſi quid immutandum aut commodius faciendum animadverteret, indicare id ne gravaretur. Salterellius, Cetera, inquit, mihi ſatis placent, unum tamen deſidero; quod ſcilicet nimis parvum & anguſtum mihi videtur. Cur hoc dicis? inquit Guadagnius, non tu vides, quantum hoc univerſum ſit ſpatium? Eſt magnum ſanè, inquit Salterellius: ſi tamen omnes huc veniant, quos tu ad paupertatem redegiſti, nimis ſcio; anguſtum erit, imò vix dimidiam eorum partem capiet.

Dolus furis.

CUm ſub Paulo III. Romæ Cardinalis quidam ſolemne convivium celebraſſet, & ex abaco vaſa aurea & argentea rurſum in arcam recondita, inque proximum conclave reportata eſſent, in quo famuli expectabant, ut Dominos ſuos domum reducerent; ecce tibi ingreditur

ditur homo quidam veſtitus ut Præfectus Aulæ ſplendidiſſimè, cui fax accenſa præferebatur. Is cum famulos, qui ſuper ciſtam ſedebant, juſſiſſet paulum recedere, mox eam à duobus bajulis ſubſequentibus dorſo imponi, & quaſi in tutiorem locum aſportandam curavit. Ita abſque ullo impedimento, vel ſuſpicione furti hæc pretioſa vaſa, Præfecto & Miniſtris Cardinalis alio in loco cœnantibus, & famulis Dominorum fures illos Cardinalis Domeſticos arbitrantibus, ſublata ſunt dexterrimè.

Fœminarum fragilitas.

MAtrona quædam Epheſi tam notæ erat pudicitiæ, ut vicinarum quoque gentium fœminas ad ſui ſpectaculum evocaret. Hæc ergo cum virum extuliſſet, non contenta vulgari more funus ſparſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere, in con-

ditorium etiam proſecuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo, Græco more, Corpus cuſtodire ac flere totis noctibus diebusque cœpit. Sic affligtantem ſe ac mortem inediâ perſequentem, non parentes potuerunt abducere, non propinqui: Magiſtratus ultimò repulſi abierunt, comploratаque ſingularis exempli fœmina ab omnibus, quintum jam diem ſine alimento trahebat.

Aſſidebat ægræ fidiſſima ancilla, ſimulque & lachrymas commendabat lugenti, & quoties defecerat, poſitum in monumento lumen renovabat. Una igitur in totâ civitate fabula erat; & ſolum illud affulſiſſe verum pudicitiæ amorisque exemplum omnis ordinis homines confitebantur: Cum interim Imperator Provinciæ latrones juſſit crucibus affigi, ſecundùm illam eandem caſulam, in qua recens cadaver matrona deflebat.

Proximâ ergo nocte, cum miles, qui

qui cruces aſſervabat, ne quis ad ſepulturam corpora detraheret, notaſſet ibi, & lumen inter monumenta clarius fulgens, & gemitus audiviſſet, vitio gentis humanæ concupit ſcire, quis aut quid ibi faceret? Deſcendit igitur in conditorium; viſaque pulcherrimâ muliere, primò quaſi quodam monſtro, infernique imaginibus turbatis ſubſiſtit: deindè ut & corpus jacentis conſpexit, & lacrymas conſideravit, faciemque unguibus ſectam; ratus ſcilicet quod erat, deſiderium extincti, non poſſe fœminam pati; attulit in monumentum cænulam ſuam, cæpitque hortari lugentem, ne perſeveraret in dolore ſupervacuo, & nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eundem exitum eſſe: ſed & idem domicilium; & cætera, quibus exulceratæ mentes ad ſanitatem revocantur. At illa ignotâ conſolatione percuſſa, laceravit vehementius pectus, ruptosque crines ſuper pectus jacentis

tis impoſuit. Nec receſſit tamen miles, ſed eâdem exhortatione tentavit dare mulierculæ cibum, donec ancilla vini certè ab eo odore corrupta, primùm porrexit ad humanitatem invitantis victam manum: deinde refectâ potione & cibo, expugnare dominæ pertinaciam cœpit, & , quid proderit, inquit: hoc tibi, ſi ſoluta inediâ fueris? ſi te vivam ſepelieris? ſi antequam fata poſcant, indemnatum ſpiritum effuderis?

An cinerem aut manes credis curare ſepultos?

Vis tu reviviſcere, reluctantibus fatis extinctum? vis diſcuſſo muliebri errore, quamdiu licuerit, lucis commodis frui? ipſum te jacentis corpus admonere debet, ut vivas. Nemo invitus audit, dum cogitur aut cibum ſumere, aut vivere.

Itaque mulier aliquot dierum abſtinentiâ ſiccâ, paſſa eſt frangi pertina-

tinaciam ſuam: nec minus aridè repl evit ſe cibo, quam ancilla, quæ prior victa eſt. Cæterùm ſcitis, quid tentare plerumque ſoleat humanam ſatietatem. Quibus blanditiis imperaverat miles, ut matrona vivere vellet, iisdem etiam pudicitiam ejus aggreſſus eſt. Nec deformis ac infacundus juvenis caſtæ videbatur, conciliante gratiam ancillâ, ac ſubinde dicente:

Placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum
conſederis avis?

Quid diutius moror? ne hanc quidem mulier partem corporis abſtinuit, victorque miles utrumque perſuaſit. Jacuerunt ergo unà, non tantum illâ nocte, quâ nuptias fecerant, ſed poſtero etiam ac tertio die præcluſis, videlicet conditorii foribus; ut, quiſque ex notis ignotisque, ad monumentum veniſſet, putaſſet expiraſſe ſuper corpus viri pudiciſſimam uxorem. Cæterum delecta-

tus

tus miles & formâ mulieris & ſecreto, quicquid boni per facultates poterat, coëmebat; & primâ ſtatim nocte in monumentum ferebat, Itaque cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam cuſtodiam detraxerunt nocte pendentem, ſupremoque mandaverunt officio. At miles circumſcriptus dum deſidet, ut poſtero die vidit unam ſine cadavere crucem; veritus ſupplicium, quid accidiſſet, exponit: nec ſe expectaturum judicis ſententiam, ſed gladio jus dicturum ignaviæ ſuæ; conmodaret modo illa perituro locum, & fatale conditorium & familiari ac viro faceret. Mulier non minor miſericors quam pudica, nec iſtud, inquit, dii ſinant, ut eodem tempore duorum mihi cariſſimorum hominum duo funera ſpectem: malo mortuum impendere, quàm vivum occidere. Secundum hanc orationem, jubet corpus mariti ſui tolli ex arcâ, atque illi quæ vacabat, cruci affigi. Uſus eſt miles

miles ingenio prudentiſſimæ fœminæ; poſtero die populus miratus eſt, qua ratione mortuus iſſet in crucem.

De tribus Bavaris.

TRes Bavari ſimul peregrè profecti ſunt, gratiâ morum in alienis terris diſcendorum, venientes in Germaniam inferiorem (ubi homines tam expeditè curteque loquuntur, nimiumque celeriter verba pronunciant, ut vix & ægrè ſuperiores Germani intelligant) civitati cuidam appropinquaverunt, Præmittitur autem ab eis procurando hoſpitio lautoque prandio inſtruendo, qui hujus incultæ linguæ non admodum ignarus ſed peritiſſimus haberi voluit. Qui cum in urbem veniſſet, atque tardâ ſuâ linguâ, inprimisque craſſâ & durâ, cum cauponâ eſſet locutus plura, nihil tamen eorum intellexit: quare dentes digitis demonſtrans, commendi avidi-

aviditatem ſignificavit. Caupo dolore dentium laborare eum exiſtimans, mox ad Medicum dentarium deduci jubet. Ubi cùm adhuc in dentibus demonſtrandis perſeveraret, Medicus Cauponis opinione permotus dentes duos illi evulſit radicitùs. Quare indignabundus ille triſtis exiens civitatem, ad comites pervenit, quibus ait: O fratres chariſſimi! per fidem meam conſulo vobis, ne hanc civitatem ingrediamini: quam primum enim ad manducandum quidpiam poſtulaveritis, dentes vobis omnes evellentur. Mihi ut cernitis duo ob eam rem adempti ſunt, qui niſi adeò peritus & edoctus fuiſſem in eorum linguâ, jam totus edentatus ad vos rediiſſem. Ibi boni homines ſtulto illius conſilio commoti, atque inediâ confecti abjerunt, Bavariam jejuni iteratò repetentes.

De

De quâdam Vaccâ.

CHriſtianus homo lepidus, ut Judæis illuderet, ſurreptam veſperi viduæ pauperculæ vaccam Judæo vendidit; cui & obſervato loco & tempore eandem, haud paulò poſt ſuſtulit, alterique Judæo eodem pretio venali adduxit, huic deinde pari furto illuſit, reducturus ad illam, unde abduxerat, viduam. Verùm ancilla obivia facta vaccam deprehendit; ad quam intrepido ille vultu: malè, inquit, rem tuam cuſtodis, perierat, niſi ego reduxiſſem.

Cornua fugienda.

COncionatori cathedram conſcenſuro, ſchedula quædam, in quâ quis dubium movebat: An nimirum teſtudines eſſent aliquod genus piſcium, an verò ad carnes accederent? ad illud reſolvendum præbebatur.

batur. Concionàtor traditam altâ voce coram auditoribus ſuis perlegebat, dicendo obtulit quis mihi hanc ſchedulam, quâ ſcrupulum conſcientiæ ſuæ diſcuti voluit, num nimirum diebus jejunii teſtudinibus veſci ei licitum ſit? huic ego breviter reſpondeo: quin imò licitum eſt, & quidem ſine ullâ offensâ DEI in cibum easdem ſumere, tantùm à cornibus quisque ſibi caveat.

Deluſus quidam.

ANte annos propè ſexaginta, ut ex ſenibus hujus urbis aliquando audivi, ludis circulariis quidam ex illis ſaltatoribus conſilium dedit, ut perſonis & larvis non uteretur chorus, ſed ſingulorum vultus colore nigro à communi pictore, in tribu ſartoriâ obduceretur. Erat hic civis homo lepidus, ſed quem aliquando ſodales lepidè excipiebant. Placuit autem hoc conſilium, & è veſtigio mittebatur, qui pictorem addu-

adduceret. Is pictor æquè ridiculus, præter pictorium etramentum etiam ex glutine albo aquam adſenebat, & primum cæteros omnes tribules atro colore denigrabat, poſtremo ei qui conſilium dederat, vultum obduxit glutine conſpicuo, ut quaſi ſub vitro color oris & habitus oculorum, & vultus appareret, cæteris ſignificatione factâ, ut diſſimularent. Ipſe etiam credens ſe Æthiopem nigrum eſſe, cucullum aſſumpſit, nova figura, ut ſingulariter deformis eſſet, & ut antea riſum ſuppreſſerant, ſic aſſumpto cucullione effusè cachinabantur. Et ſimul chorus in publicum procedit, & omnium in illum præcipuè oculi conjecti erant, qui non ſe, ſed cucullum eſſe ſpectaculo putabat. Cum ad palatium uſque perventum eſſet, obviam occurrit cuidam amico ſuo, nunc ante, nunc ponè ſeſe oſtentans, & ſaliens choragus. Cum ab illo moneretur, ut abiret, facile internoſci à notis poſſe, de colore non cogitans, de cu-

cullo·

cullo geſtiebat magis. Ecce dum ſalit, dum geſtus facit, adferri amicus ſpeculum ex tonſtrinâ vicinâ jubet, & cum circulum ad pedes uſque demiſiſſet, videt in ſpeculo vultum & colorem ſuum, & ſubito ex choro profugit. Omnium riſus ſubſequitur, ipſe qui riſum faciebat, fit ridiculus.

Fauſti Magia.

CONvivas habuit infauſtus ille Fauſtus multos amicorum. Petierunt hi, vites uvis prægnantes ſibi repræſentaret in menſâ, quamvis putârint brumæ tempore ab uvis tam alieno, id fieri non poſſe. Nec tamen difficilis fuit magus perſuaſu; Vites igitur præſtigiis è menſâ evocat racemis prægrandibus plenas. Priùs tamen eam omnibus edicit legem, ut alto ſilentio expectent, dum jubeantur uvas carpere. Omnes ſe legi obtemperaturos recipiunt. Mox infamis artifex, incan-

tamen-

tamentis carminum ita oculos appotæ turbæ perſtrinxit, ut illis tot botri miræ magnitudinis, & ſucco maturo pleni apparerent, quot eorum menſa numerabat. Omnes ergo in gulam hanc avidiſſimi, jamque nihil ſitibundi à temulentiâ ſuum quisque cultrum ad uvam ſibi proximam apponit, dummodo imperator Fauſtus jubeat ſecare: En omnium dentes ſalivâ, & in æſtivam hanc voluptatem pruriunt. Hoc ſitu aliquamdiu tenentur: ingens omnium expectatio, dum cultro jugulent jam captam prædam. Tandem formoſiſſima vitis evaneſcit, & in fumum abit. Illi nebulâ magicâ jam diſpulsâ, viſi ſunt ſinguli ſuum quisque tenere naſum appoſito cultello jam pro uvâ ſecandum. Quod ſi quis immemor præcepti aut contemptor, botrum ſibi deſtinatum præſcindere voluiſſet, naſum ſibi joculari vulnere præſecuiſſet. Hîc omnium riſus & indignatio.

Ma-

Maritus in cœlo non vult ſedere penes uxorem.

QUidam venerat ad Portas Cœli non longo tempore poſt, dum vitâ functus eſſet, & cùm S. Petrus præteritorum memor, eum admittere vellet, dicebatque: veni & ſedeas propè uxorem tuam. Reſpondit ille: Non per DEUM, ſi uxor mea eſt intus, ego nunquam intrabo. In vitâ enim nunquam quietus fui cum eâ, mortuus nunc & otioſus, & crebrò cum eâ habitans, quomodo pacem ab eâ habere poſſem? Atque ſic abiit, neſcio quorſum. Ex quo videre licet antipathiam inter mulieres & viros.

Quidam cum Aulicis verbera partitur.

NObili genere natus ad Papæ alloquium admitti deſiderabat; Aulicis verò aditum negantibus, uſque

usque dum dona, quibus à Papâ condecorandus, cum ipſis partiri polliceretur, accepit conditionem & admiſſus à pontifice, nil niſi verbera petebat, quæ cum impetraſſet, cum aulicis ex æquo partitus eſt.

Fur proditus à pileo.

FUr quidam per tegulas irrepſerat in ædas venandi gratia. Nec ſucceſſit venatus; prodidit hominem ſtrepitus, ortus eſt tumultus, etiam vicinis concurrentibus. Ille videns tumultum, miſcuit ſe turbæ, velut unus è numero veſtigantium furem, atque ita fefellit. Cùm putarent furem elapſum, deditum eſt quærere. Fur, quoniam fruſtra tentaverat elabi per feneſtras, vicinis arcentibus, decrevit exire per oſtium, credens futurum, ut illic falleret, quemadmodum fefellerat

in venatu, & feſelliſſet, niſi tam parùm continentem habuiſſet linguam, quam habebat manus abſtinentes, offendit præ foribus complures, de fure confabulantes. Et hic malè precatus eſt furi, cujus gratiâ perdidiſſet pileum. Exciderat autem fugitanti: pileum, quod exceptum eſt in hoc, ut ejus indicio fur poſſet aliquando deprehendi. Ex ea voce nata eſt ſuſpicio: *Captus eſt, confeſſus eſt & pependit.*

Rudes diſcipuli & Magiſter.

PRætor paganus tres filios in Academiâ alebat: cùm autem nôſſe percuperet: quantum in ſtudiis liberalibus profeciſſent, filios unà cum eorum Pædagogo domum evocavit. Ut igitur hæc fraterculorum trias latinè docta, ſi non eſ-

ſet,

ſet, ſaltem videretur; Pædagogus ejusmodi rem comminiſcitur: Filium natu majorem admonet, ut ſi quid latinè rogaretur, nihil aliud reſponderet, quàm; Nos tres fratres: Alter verò, quodcunque interrogatus diceret; Propter burſam & pecuniam. Tertius denique, ſi quid ex eo quæreretur, ſtatim ſubjiceret; Æquum & juſtum eſt. Hoc modo rudes diſcipulo à multùm rudiore Magiſtro inſtructi domum properant; ac fortè fortunâ Patri ſuo ejusdemque pagi Paſtori ſibi obviam progreſſis eo ipſo loco, ubi recens interfecti hominis cadaver adhuc ſanguinem ſtillans jacuerat, occurrunt. Peracta utrinque ſalutatione reciprocâ rogatur maximus natu filius à Paſtore, profectum ejus in litteris exploraturo. Quis nam homicidium illud perpetraſſet? continuò ille,

ut à Pædagogo ſuo antè edoctus fuerat. Nos tres fratres reſpondit. Quam ob cauſam ? pergit Paſtor; & alter Filius : Propter burſam & pecuniam, inquit. Vos igitur (ſubinfert Paſtor) utpote caſtigabiliſſimi nebulones quantocius & quidem indictâ cauſâ, aut ſublimes pendere, aut aliud quodcunque atrociſſimum ſupplicium ſubire oportebit, & tertius Frater natu minimus ; Æquum & juſtum eſt, reſpondit.

Ad Fures.

NObilis quidam Placentinus, conſumptis ferè omnibus fortunis, in magnâ paupertate vitam ſuſtentabat. Is noctu fures quosdam in domo ſuâ deprehendens, Quid vos, inquit, ſtulti homines ! hic noctu aliquid inventurum putatis, ubi ego interdiu nihil invenire poſſim ?

De

De Anni qualitate.

AUreus numerus hoc anno parvus erit & modicus, apud pauperes multæ futuræ ſunt hoc anno tenebræ, mediæ noctis præſertim tempeſtate, ſacrificare & ſanguinem minuere bonum eſt & utile, quoties hominem neceſſitas ad hoc impulerit, vitanda tamen maximè ſanguinis minutio, quæ fit à ruſticis circa feſta Bacchanalia, dum illi farciminibus repleti ſunt. In Martio aliisque temporibus utilia ſunt ſcabioſis balnea & unguenta: frictio quoque illis non erit ingrata. In Julio ex frigidioribus cellis allata ſitientibus ſunt jucundiſſima. In Decembri autem tunicæ jumentorum pellibus ſubductæ ſtomacho & toti ventri ſunt oportunæ. Imbres hoc anno erunt humidi propter reſpectum Aquarii; propter na-

turalem & conſuetum curſum ſolis dies longiores æſtate quam hyeme. In æſtate lilia & roſæ in copia provenient, ſed timenda tunc tonitrua & fulmina. In autumno folia de arboribus cadent, & flores deflorebunt & marceſcent. In vere omnis vis terræ erigitur ad producendos fructus.

Medici cujusdam fraus tempore peſtis.

NArrat Melander in 1. Tomo jocoſer. cum mirum in modum in loco quodam peſtis ſæviret, non minus avarum, quam arrogantem, pharmacopolam fuiſſe, qui unguentis virtutem certiſſimam, contra præſentiſſimam & inevitabilem mortem ineſſe, ſtolidiſſimè jactabat. Hic ut emptores ſibi conciliaret, his verborum lenociniis animos ſuperſtitum dementare præſum-

ſumpſit.: Domini mei! ſi ſalutis, & vitæ veſtræ tenaces eſtis, ſalutaria nolite reſpuere, convenite mecum, ego vobis certiſſima remedia communicabo, quorum uſu non modò non intereatis, verùm etiam adverſus virus hoc illæſi præſervemini. Hæc ita effutiebat pomposè, ut niſi ſubita rerum mutatio obſtitiſſet, haud pauci fidem adhibuiſſent: Sed ecce vix os concluſerat jactator ille, cum eâdem lue correptus, infelicem & vetito quæſtui inhiantem animam exhalavit; & ſua morte impoſturam & fallaciam nimis luculenter omnibus manifeſtavit. Quare corpus ejus in ſepulchrum unà cum pillulis, quibuscum corpora infarcienda contra peſtem docuerat, conjectum fuit, ut in pillulas & ipſum abiret, non niſi à vermibus vel draconibus infernalibus degluciendas.

Fur verecundus.

FUr quidam ſuſpendioſus, adeò erat pannoſus & lacero veſtitu, ut eum prodire ſic ad crucem puderet vehementiſſimè. Neç tam laqueus injiciendus, quàm corpus malè tectum movebat. Neque etiam, qui animam ejus curabat Sacerdos, poterat hanc ei cogitationem ullis rationibus excutere. Quid dicent, ajebat, ſpectatores, cùm me ſeminudum viderint? Hem dicent, qualis fur iſte, qui non potuit ſaltem unum palliolum furari, quo ſe honeſtè tegeret. O indoctum furem! Hujusmodi ſermunculos, tantam inſcitiam ſibi exprobrantes, honori ducebat.

Simplicitas cujusdam ſacerdotis.

COnveni Sacerdotem quendam Italicum Flumine, qui erat cum cer-

certis Amicis ex Lauranâ, & cœpi percontari de novis rebus Italiæ. Ille adverſo vultu ſtans, ait; Non intelligo, non ſum Sacerdos ad Grammaticam. Tum ego: Ad quid ergo eſt Sacerdos? dixi: Reſpondit: ad tria Miſſa. Et ego in eodem genere quæſivi; Ad qualia? Reſpondit, de Beatâ Virgine, Spiritu ſancto & pro defunctis. Sed cauſa eſt, quia inibi omnes functiones Eccleſiaſticas ſolent peragere in linguâ Illiricâ.

Lis inter duos mercatores.

Duo mercatores de prudentiâ & ſagacitate inter ſe contendebant. Tum unus proverbium illud vulgare uſurpans, equidem centies, inquit, te ego vendiderim, priusquam tu me ſemel. Rectè autumas, inquit alter, neque enim

 vel

in venatu, & feselliſſet, niſi tam parùm continentem habuiſſet linguam, quam habebat manus abſtinentes, offendit præ foribus complures, de fure confabulantes. Et hic malè precatus eſt furi, cujus gratiâ perdidiſſet pileum. Exciderat autem fugitanti: pileum, quod exceptum eſt in hoc, ut ejus indicio fur poſſet aliquando deprehendi. Ex ea voce nata eſt ſuſpicio: *Captus eſt, confeſſus eſt & pependit.*

Rudes diſcipuli & Magiſter.

PRætor paganus tres filios in Academiâ alebat: cùm autem nôſſe percuperet: quantum in ſtudiis liberalibus profeciſſent, filios unà cum eorum Pædagogo domum evocavit. Ut igitur hæc fraterculorum trias latinè docta, ſi non eſſet,

ſet, ſaltem videretur; Pædagogus ejuſmodi rem comminiſcitur: Filium natu majorem admonet, ut ſi quid latinè rogaretur, nihil aliud reſponderet, quàm; Nos tres fratres: Alter verò, quodcunque interrogatus diceret; Propter burſam & pecuniam. Tertius denique, ſi quid ex eo quæreretur, ſtatim ſubjiceret; Æquum & juſtum eſt. Hoc modo rudes diſcipulo à multùm rudiore Magiſtro inſtructi domum properant; ac fortè fortunâ Patri ſuo ejusdemque pagi Paſtori ſibi obviam progreſſis eo ipſo loco, ubi recens interfecti hominis cadaver adhuc ſanguinem ſtillans jacuerat, occurrunt. Peracta utrinque ſalutatione reciprocâ rogatur maximus natu filius à Paſtore, profectum ejus in litteris exploraturo. Quis nam homicidium illud perpetraſſet? continuò ille,

ut à Pædagogo ſuo antè edoctus fuerat. Nos tres fratres reſpondit. Quam ob cauſam ? pergit Paſtor; & alter Filius : Propter burſam & pecuniam, inquit. Vos igitur (ſubinfert Paſtor) utpote caſtigabiliſſimi nebulones quantocius & quidem indictâ cauſâ, aut ſublimes pendere, aut aliud quodcunque atrociſſimum ſupplicium ſubire oportebit, & tertius Frater natu minimus ; Æquum & juſtum eſt, reſpondit.

Ad Fures.

NObilis quidam Placentinus, conſumptis ferè omnibus fortunis, in magnâ paupertate vitam ſuſtentabat. Is noctu fures quoſdam in domo ſuâ deprehendens. Quid vos, inquit, ſtulti homines ! hic noctu aliquid inventurum putatis, ubi ego interdiu nihil invenire poſſum ?

De Anni qualitate.

AUreus numerus hoc anno parvus erit & modicus, apud pauperes multæ futuræ ſunt hoc anno tenebræ, mediæ noctis præſertim tempeſtate, ſacrificare & ſanguinem minuere bonum eſt & utile, quoties hominem neceſſitas ad hoc impulerit, vitanda tamen maximè ſanguinis minutio, quæ fit à ruſticis circa feſta Bacchanalia, dum illi farciminibus repleti ſunt. In Martio aliisque temporibus utilia ſunt ſcabioſis balnea & unguenta : frictio quoque illis non erit ingrata. In Julio ex frigidioribus cellis allata ſitientibus ſunt jucundiſſima. In Decembri autem tunicæ jumentorum pellibus ſubductæ ſtomacho & toti ventri ſunt oportunæ. Imbres hoc anno erunt humidi propter reſpectum Aquarii; propter natura-

turalem & conſuetum curſum ſolis dies longiores æſtate quam hyeme. In æſtate lilia & roſæ in copia provenient, ſed timenda tunc tonitrua & fulmina. In autumno folia de arboribus cadent, & flores deflorebunt & marceſcent. In vere omnis vis terræ erigitur ad producendos fructus.

Medici cujusdam fraus tempore peſtis.

NArrat Melander in 1. Tomo jocoſer. cum mirum in modum in loco quodam peſtis ſæviret, non minus avarum, quam arrogantem, pharmacopolam fuiſſe, qui unguentis virtutem certiſſimam, contra præſentiſſimam & inevitabilem mortem ineſſe, ſtolidiſſimè jactabat. Hic ut emptores ſibi conciliaret, his verborum lenociniis animos ſuperſtitum dementare præſum-

ſumpſit.: Domini mei! ſi ſalutis, ſi vitæ veſtræ tenaces eſtis, ſalutaria nolite reſpuere, convenite mecum, ego vobis certiſſima remedia communicabo, quorum uſu non modò non intereatis, verùm etiam adverſus virus hoc illæſi præſervemini. Hæc ita effutiebat pomposè, ut niſi ſubita rerum mutatio obſtitiſſet, haud pauci fidem adhibuiſſent: Sed ecce vix os concluſerat jactator ille, cum eâdem lue correptus, infelicem & vetito quæſtui inhiantem animam exhalavit; & ſua morte impoſturam & fallaciam nimis luculenter omnibus manifeſtavit. Quare corpus ejus in ſepulchrum unà cum pillulis, quibuscum corpora infarcienda contra peſtem docuerat, conjectum fuit, ut in pillulas & ipſum abiret, non niſi à vermibus vel draconibus infernalibus deglutiendas.

Fur verecundus.

FUr quidam ſuſpendioſus, adeò erat pannoſus & lacero veſtitu, ut eum prodire ſic ad crucem puderet vehementiſſimè. Neç tam laqueus injiciendus, quàm corpus malè tectum movebat. Neque etiam, qui animam ejus curabat Sacerdos, poterat hanc ei cogitationem ullis rationibus excutere. Quid dicent, ajebat, ſpectatores, cùm me ſeminudum viderint? Hem dicent, qualis fur iſte, qui non potuit ſaltem unum palliolum furari, quo ſe honeſtè tegeret. O indoctum furem! Hujusmodi ſermunculos, tantam inſcitiam ſibi exprobrantes, honori ducebat.

Simplicitas cujusdam ſacerdotis.

COnveni Sacerdotem quendam Italicum Flumine, qui erat cum

certis Amicis ex Lauranâ, & cœpi percontari de novis rebus Italiæ. Ille adverſo vultu ſtans, ait: Non intelligo, non ſum Sacerdos ad Grammaticam. Tum ego: Ad quid ergo eſt Sacerdos? dixi: Reſpondit: ad tria Miſſa. Et ego in eodem genere quæſivi; Ad qualia? Reſpondit, de Beatâ Virgine, Spiritû ſancto & pro defunctis. Sed cauſa eſt, quia inibi omnes functiones Eccleſiaſticas ſolent peragere in linguâ Illiricâ.

Lis inter duos mercatores.

DUo mercatores de prudentiâ & ſagacitate inter ſe contendebant. Tum unus proverbium illud vulgare uſurpans, equidem centies, inquit, te ego vendiderim, priusquam tu me ſemel. Rectè autumas, inquit alter, neque enim

vel obulum quisquam pro te mihi daret.

Epiſtola cujusdam pennalis.

EGo miror, quomodo poteſtis ſpeculari talia, vos eſtis valdè artificialis in compoſitionibus veſtris, & habitis magnam dulcedinem, ita quòd ſemper ego rideo præ lætitia, quando lego aliquid quod vos compoſuiſtis, & opto ſemper quod velitis diu vivere quòd laus veſtra creſcat, ſicut fecit usque huc, quia veſtra ſcripta ſunt valdè utilia. DEUS vos conſervet & vivicet vos, & non tradat vos in manus inimicorum veſtrorum: & ſicut dicit Pſalmiſta, tribuat vobis Dominus ſecundum cor veſtrum, & omne conſilium veſtrum confirmet. Et vos etiam ſcriba-

ſcribatis mihi de factis veſtris, quia libenter audio & video quid facitis ſeu agitis: & ſic valete.

Reſponſum argutum.

FLorentino quodam ſe venditante, quod multa ſcutatorum millia litteris diſcendis conſumpſiſſet, Alphonſus Pazzius. Si tu, inquit, quem reperias, qui centum tibi pro eo, quod didiciſti, reddere velit, ſine omni cunctatione argentum accipito; innuens: doctrinam ſumptibus minimè reſpondere.

De quodam Italo.

ITalus quidam è vitâ migraturus, cum corpus Domini à ſacerdote manducandum acciperet, adactus ſolenni Centurionis dicto; Domine non ſum dignus, ut intres. Verba

hæc non gravatim reddebat. At cum ventum eſſet in eum locum, ſub tectum meum, quod Italicè ſuggerebant his verbis: à caſa mia. Ille vehementer reclamabat. Non à caſa mia: atque id cum ſemel atque iterum feciſſet, aſtantibus multùm ægrè ferentibus, cauſam rogatus: Ego inquit, quoad vixi, ſemper in conductâ domo habitavi. Quod verbum omnibus ridendi materiam præbuit.

Simplicitas moribundi.

ÆGrotabat quidam, & cum de ejus vitâ deſperatum eſſet, cœpit parochus hominem admonere ſuæ migrationis & inter alia verba conſolotoria ita dixit: præpara te ad ſummam felicitatem, hodie enim portaberis ab Angelis in ſinum Abrahami: ad quod ægrotus: Hoc mihi profecto gratiſſimum eſt: nam

ſi longa eſt via, non poſſum ire pedibus, adeò defeſſus ſum & infirmus.

Somnium de Theſauro.

QUidam ſomniaverat, ductum ſe à dæmone in agrum, ad aurum effodiendum, & cum multum reperiſſet : Non licet nunc, inquit dæmon auferre, ſed ſigna locum, ut cognoſci à te ſolo queat. Cùm alter, quo ſignaculo uteretur, peteret : Caca hic, inquit dæmon, nam hoc maximè modo nullus hîc eſſe aurum ſuſpicabitur, & tibi ſoli res nota erit. Annuit vir. Et ſtatim expergefactus, ſenſit ſe in lecto ventrem admodum laxaſſe.

Cibus propoſitus.

OBſonium delicatum tribus Theologiæ tyronibus oppoſitum; ſed ita puſillum, ut unâ vice

devorari potuerit. Pacti ſunt igitur inter ſe, ut qui aliquid huic rei congruum, ex Evangelicis litteris protuleris, toto veſceretur ſolus. Primus dixit: Deſiderio deſideravi hoc obſonium manducare. Alter ait: Domum quampiam ingreſſi, comedite, quæ apponuntur vobis. Tertius direpto obſonio & unâ vice devorato, in toto Evangelio, inquit, non occurrit huic rei aptius verbum, quam extremum illud, qud uſus eſt Dominus, videlicet, Conſumatum eſt.

Ruſticus.

Cum cuidam ruſtico in montibus Helvetiorum uxor omnesque liberi peſte obiiſſent, ruſticus indignabundus: Ego ſemper audivi, quicquid homini charum ſit, aufert ei diabolus.

Simplicitas Ruſtici.

Ruſticus ad Myropolium miſſus pro tribus obolis tiriacum allaturus, ſaccum frumentarium ſecum ſumpſit: judicabat enim, hunc capacem aptè humeris imponi poſſe.

Epiſtola riſu digna.

Sciatis chariſſimè amice, quod ego litteram veſtram accepi, in qua mihi ſcribitis de Cicerone, & vultis ſcire quid ego teneam de eo. Debetis ſcire & mihi credere, quia etiam quando fui adhuc juvenis multa legi in litteris humanis, & Stephanum Fliſcum & Græciſtam & Synthis: Facetum: Floretum: & illos antiquos Poëtas quaſi ſuper unum unguem ſcivi mentetenus: & quod verum ſit, tunc ſcripſi unum librum, qui dicitur Compendius

dius, in quo benè videbit ſcientiam meam & plura alia: ſi ego vellem me jactare. Sed ego dico pro tanto: quod non putetis, quod ego vobis mentior: Quia ego poſſum benè valdè judicare de Cicerone. Ego etiam examinavi Plinio, ſicut bene ſcitis. Et ut non faciam multa verba: ego nihil teneo de Cicerone.

Pedes baculo percuſſi.

FAbula quædam fertur de quibusdam fatuis, qui cum unâ in ripâ fluvii cujusdam conſediſſent, ac pedes quisque ſuos aliorum pedibus conjunctos in fluvium demiſiſſent, cum ſurgèndum eſſet, ignorare cœperunt, utri utrius pedes eſſent, donec tranſeuntis cujusdam baculo percuſſi, ſuos quisque pedes, ſenſu videlicet verberum admonitos, ad ſe traxiſſent.

Sim-

Simplicitas Studioſi.

SImplex Studioſus Chirurgum ob barbam tondendam convenerat, eâ ſemirasâ alius ad prandium eum invitabat, rogando moram rumperet, neminem præterquam illum deſiderari ; Ad hæc ille ; ſiſte, ait Chirurgo, ego pranſum ibo, tu intereà cura, ut barba & crines mei, ad meum reditum abſolvantur.

Familia ingens Adami.

REgi ſummo Philippo obviam factus mendicus petit largam eleemoſynam, quia Frater ejus eſſet, quæſivit Rex: ex quâ parte, de Adam inquit: Rex juſſit ei dare nummulum. Et cum diceret, hoc non eſt donum regis fratris, reſpondit Rex: ſi omnibus fratribus tantùm darem, nihil penitus retinerem.

Dictum Ridiculum.

EBrius quidam cum aliis multis lacum Acrontum trajecit, ac in prorâ paulùm obdormiſcens, in lacum eſt præcipitatus: Socii autem illius cum clamarent, ut navem ſiſteret nauta, quoniam ebrius in lacum decidiſſet. Ille diſſimulavit aliquandiù, ſurdisque auribus lacum ſulcavit: Tumultuantibus verò tandem omnibus ut ſiſteret, ſineretque educi ebrium. Reſpondit: ridicule. Quam fatui eſtis, creditis hunc hominem aquâ ſuffocari? Acclamantibus illis, jam ferè actum de vitâ ejus, niſi ſubveniret confeſtim. Stultis inquit, ſtultiores eſtis: vino ſuffocatus aquam in nullam corporis partem admittit.

Somnium de Gallo fores cœli pulſante.

1.

SOmnia non omnia
Viſa ſunt errare,
Quare mea ſomnia
Liceat narrare,
Verum ſi narravero
Forſan odioſa.
Rogo atque obſecro,
Dicta ſint ſub roſa.

2.

Somniavi militem
Gallicis ex caſtris,
Profugum in aërem
Inbiare aſtris,
Ecce colli limina
Tangit, atque fores,
Forti pulſat dexterâ,
Fores dant fragores.

3.

Petrus ſtans ad oſtia
Mox interrogabat:

Quis eſt iſte advena,
Fores qui pulſabat?
Hic reſpondet : Gallus ſum,
Homo bellicoſus.
Petrus mutat oculum,
Dicit : Vir doloſus.

4.

Gallum ego Fugio
Ut ſerpentis viſum.
Non libenter audio,
Nomen eſt inviſum,
Neſcis, quare fleverim
Olim tam amarè?
Nempè cum audiverim
Gallum ter cantare.

5.

Si non es pacificus,
Semper bellicoſus,
Non es gratus Filius,
Omnibus exoſus,
Cœlo jam non bella ſunt,
Pacem poli amant,

Te ut peſtem fugiunt,
Audis ? ut conclamant!

6.

Nolumus fœdifragum
Pacis turbatorem,
Qui Machiavellicum
Sequitur tenorem,
Nullus quadrat miles hîc,
Miles tam iniquus
Nunquid ego dixi ſic?
Tua ſpes eſt ficus.

7.

G. *O mi ſancte Domine!*
Me nunc obligabo,
Reus ero crimine,
Pacem ni ſervabo.
P. *Pacem vos promittitis*
Animus cùm jacet.
Pacem rurſum rumpitis,
Quando vobis placet.

8.

Cujus es tu fidei?
Puto! quod nullius.

Tua

Tua fides nemini
Placet, qui eſt pius.
Tu neque Calvinus es,
Neque es Lutherus,
Dicam ut ſe habet res:
Atheus es verus.

9.

Quòd non ſis Catholicus,
Neque Chriſtianus,
Utrum Acatholicus,
Perfidus Tyrannus:
Hoc ex Ottomannicâ
Facilè probatur,
Nempe amicitiâ,
Reliquum claudatur.

10.

Imò Turcis pejor es,
Illi-cum obſervant
Fœdera, tractatas res,
Leges, jura ſervant;
Tu, tu Chriſtianus
Dici vis, & ſcribi:

Chri-

Chriſtianiſſimus peſſimus
Magis quadrat tibi.

II.

Cur tu ergo audeas
Portam hanc pulſare?
Nullum jus cum habeas,
Poſſis ut intrare?
Adeòque victus es,
Abi, ut veniſti!
G. *Ergo mihi nulla ſpes?*
P. *Talis, ut vixiſti.*

12.

C. *Parce mihi Domine,*
Veniam rogabo,
P. *Prius tu reſtitue,*
Aliàs non dabo.
Da, quæ mala poſſides,
Da cuique ſuum,
Redde alienas res,
Reliquum eſt tuum.

13.

Cæſari quæ Cæſaris
Quæ ſunt Dei Deo:

Red-

Redde, quod tu abripis
Furibundus Leo,
Imò te non prædicem
Nomine Leonem,
Potiùs te nominem
Tygridem, Draconem.

14.

Damnum priùs repara
Quale tu cauſâſti,
Quæque per incendia
Tu depauperaſti.
Omnia ſi valeas
Vitâ reſarcire,
Tunc acceſſum habeas,
Poteris redire.

Qui nam ſint ſtulto ſtultiores?

AUcupus & Venatores : hi enim manè ſurgunt nulla tempeſtatis habitâ ratione, per æſtus, per frigora, incertæ exiguæ prædæ ſpe ſub

ſub die vaguntur hyberno maximè tempore, quandò feris anatibus inſidiæ ſtruuntur. Jam canes ſecum ducunt, jam accipitrem manu ferunt, jam retibus, amitibus aliiſque decipulis ad ficedulas, perdices, coturnices, alaudas, &c. capiendas accommodatis, onuſti incedunt; tum retia operosè explicant, falconis vel accipitris volatum obſervant, redeuntem anxiè expectant, ac ſæpè media hyeme, per flumina, per nives totum diem ſequuntur, non ſine valetudinis diſcidio: completo die vix unam, aut alteram aviculam, domum reportant. Quod ſi ineat rationem ejus, quod in falcones, canes, retia aliaque inſtrumenta impenderit, videbit ſine perſpiciliis ſecum ratione inſanire.

Voratoris cujusdam fraus.

COnvenerant in hoſpitio duo peregrini, his petentibus hoſpes caponem aſſatum appoſuit, appoſitum alter diviſit, inter dividendum, amicitiam ſimulans, convivam ſuum interrogavit, num parens ejus adhuc eſſet in vivis? interrogatus ad dulciſſimi parentis memoriam in lacrymas totus abiit, magnoque animi ſenſu obitum ejus tam graphicè depingebat, ut non modo morbi ſpeciem, ſed & ipſam ejus durationem, moleſtias, dolores, & ultimum denique agonem longis ambagibus explicaret: interim verò alter ſtrenuè ore laborabat, & appoſiti caponis dimidium quaſi inadvertenter plenis buccis devorabat. Hoc cum adverteret paterni funeris Encomiaſtes, ut fraudem fraude corrigeret, hem inquit:

quit: amice mi! & tu, ſi lubet parentis obitum declares, ut & ego tibi quoque condoleam; ad hæc ſuccinctiſſimè alter: meus, inquit, parens ſubitaneâ morte ſublatus eſt. His dictis reliquum caponis avido dente abſumpſit.

Vanæ ſine viribus iræ.

FAcetus nonnemo, cum caſu ita ferente in ſemitâ adeò arctâ, obvius eſſet alicui, ut ſalvo tranſitu alterum alteri cedere neceſſum eſſet, ne ipſe ad occurſantis tranſitum promovendum retroire cogeretur, in hæc terrifica, ſed vana verba prorupit: Apage de via furcifer! aut ita te tractabo, ut heſternus ille in hoc ipſo loco à me tractatus eſt. His alter ita percuſſus fuit, ut fermè corrueret: è veſtigio itaque (ſatius dicens, alteriùs

damnum ſapere) retroceſſit. Interim ſeſe recolligens, ad fulminantis hujus progreſſum animo ſumpto, voce manſuetâ eundem interrogabat : Heus bonè vir ! edio, ſi lubeat, quo nam modo heſternum illum excepiſti ? Interrogatus eo quod hunc vanis minis & malorum impendentium umbrâ, ideò deterruiſſet, plaudenti animo & in riſum effuſiſſimo ore reſpondit: Heſternus ille nolebat mihi cedere, ego itaque cedebam illi ; hoc itidem facturus tibi, niſi vaniſſimis meis minis muliebriter fractus loco mihi ceſſiſſes.

Pictoris cujusdam ridicula inventio.

ANdreas Mantinea, pictor Patavinus, cùm Innocentio VII. Pontifici Maximo, templum Romæ in Vaticano picturis exornaſſet, & honora-

norarium, quod expectaverat, non accepiſſet, alterâ vice juſſus pingere ſeptem vitia capitalia fecit; & ingratitudinem inter ea depinxit, interrogatus à Pontifice: quare cum ſeptem tantùm vitia capitalia numerarentur, ipſe octavum adderet? reſpondit ei: quod ingratitudine majus vitium non reperiatur, cum itaque locus vacaſſet, id ipſum cœteris jure addi potuiſſe; Pontifex calliditate pictoris perſpectâ, diſſimulans, rectè ſanè, ſed quia ex hoc latere octo vitia capitalia apparent, cum ſeptem tantùm ſint, in altero è regione latere virtutes ſeptem, illis virtutibus octavam appingito patientiam, quæ certè infimum non tenet in virtutibus locum, unde annumeretur non minùs quàm ingratitudo cum ſeptem vitiis capitalibus.

Caſus ridiculus de quodam ſuſpenſo.

QUidam Faber ahenarius ſuſpenſus erat, & alius neſcius rei, cùm ad civitatem intempeſtâ nocte maturaret, & nimiâ feſtinatione clauſas jam portas ſuſpicaretur, cœpit ſub arbore, non procul à patibulo, quietem. Non autem multò poſt tempore venerunt alii, & ipſi ad Civitatem properantes, qui patibulum intuentes atque ſuſpenſum cognoſcentes, illum inclamaverunt, ſi vellet, ut cum ipſis ad forum iret. Quibus verbis ille excitatus (quem dixi primùm quietem cœpiſſe ſub arbore) acclamabat; Expectate ô boni ſocii! ego veniam. Undè illi mortuum loqui exiſtimantes, adeò extimuerunt, ut celerrimâ fugâ penè exanimarentur. Ille verò ſemper eos ſecutus; Manete,

in-

inquit, vos rogo, nam vobiscum ibo, & quantò plus clamando eos ſecutus eſt, tantò magis illi feſtinârunt: adeò, ut ſemianimes tandem antè portas urbis reperirentur, atque non niſi longo demum tempore ſanitatem priſtinam ex longâ conſternatione receperint.

Simplicitas cujusdam mariti.

QUidam adulterii commercium habuit cum uxore piſtoris, cum quâ, dum noctè quâdam eſſet, maritumque domui appropinquantem videret, conſilio amicæ in ſtabulum porcorum, quod ſub ſcalâ erat, properè ſe proripuit. Adveniens verò maritus, & ſtrepitum (nondum enim compoſuit ille) audiens: Quis es tu? inquit: Ille more porci primùm grunire cœpit, ut erat inſtructus ab adulterâ: ſed piſtore inſtantiùs quærente, dixit: Sum

Sum miſer porcus. Quâ vore adeò exterrebatur piſtor (diabolicam vocem exiſtimans, quam ille terrore nimio horribilem ediderat) ut è veſtigio domum fugiendo relinqueret, adulteroque liberam abeundi facultatem præberet.

Dictum cujusdam.

QUidam dicebat, dum interrogaretur, quot dies jucundos cum uxore quispiam habeat? duos ſolummodo reſpondit: primum, quo uxor ducitur, alterum, quo mortua domo effertur:

Qui capit uxorem, litem capit atque dolorem,
Qui caret uxore, lite caret atque dolore.

Maritus quot annis percutit mulierem obſtinatam.

HOmo iracundo ingenio merulas à ſe coëmptas uxori aſſandas

das cùm daret, Aſſa, inquit: nobis hoſce turdos. Cui uxor; Merulas appellas turdos? Prætendit maritus eſſe turdos: illa reſponſat, eſſe merulas. Hic eam pugnis operit. Anno vertente cùm rediret dies ille, memor verberum mulier; En! ait: hic eſt dies anniverſarius, quâ me ob maledictas merulas pugnis tutudiſti. Tùm vir; & adhuc negare audes fuiſſe turdos? nondumque cedentem pulſavit iterum. Ita quotannis eôdem die cùm ſimiliter loqueretur, ſimiliter vapulabat.

Cum majoribus & prævalentibus, quamvis parvis in rebus non eſt contendendum, ne malè prætereà multati abeamus, cùm nihil effecerimus. Huc accommodatum illud Eccleſiaſtici c. 4. *Noli reſiſtere contra faciem potentis: nec coneris contra ictum fluvii.* Et

ruſſum cap. 8. *Non litiges cùm homine potente, ne fortè incidas in manus illius.*

Simplicitas cujusdam Ruſtici.

RUſticus quidam erat, uti certiſſimâ fide accepi, cui cùm in peſte uxor, omnesque liberi, quos plures habebat, obiiſſent, cœpit & ipſe eâdem peſte correptus ægrotare. Quem cùm Sacerdos providere Sacramentis, ut ſolet, vellet, reſtitit ruſticus, indignatiſſimeque ſe mori noli, teſtatus eſt, ſeque ſummâ à DEO injuriâ affici conqueritur feriò, quòd poſt omnes liberos & ipſe vocetur ad mortem, dùm plures haberet vicinos, qui cùm liberis omnes incolumes ſint, ſeque Deum & Apoſtolos provocaturum jamque provocare affirmat; Ad hunc ſacerdos: Sis æquo ani-

animo, inquit: fili! vitamque tuam pariter, & voluntatem divinæ voluntati committas: eos enim plus viſitat, & ad ſe vocat, quos chariores habet. Cui ruſticus reſpondit: O utinam hoſtis meus eſſet! modo ſineret me vivere. Nam ſi ita ſuos diligit, diligat alios quàm me & dicitur convaluiſſe; forſan enim per appellationem vitam obtinuit. Sed hæc non imitanda craſſa ſimplicitas.

Cauſidici mali.

MAtrona quædam venerat Patavium, & videns illic multos adoleſcentes Scholaſticos, quæſivit, quid nam facerent? Reſpondebatur: eos litterarum ſtudiis operam dare. Ad quæ illa: Quibus litteris? Juri civili reſpondebatur: Illa vero: in quem finem? Quales ſunt illi futuri? Dicebatur: Ut

fiant ſæcularium cauſarum tractatores, cauſidici atque litium patroni. Heu ! clamabat illa, ſolùm, eſt in patriâ meâ unus cauſidicus vel procurator, & fermè tota patriâ per ejus & nugas & fallacias deſtructa eſt : quid nunc fiet de tam ingenti Scholaſticorum claſſe?

Convivium explicatum.

IN quovis convivio convivantes aſſimilantur Alphabetho, aliqui enim ſunt *vocales*, qui loquuntur, aliqui *conſonantes*, qui ſuâ addunt, alii mutæ, qui tacent, alii liquidæ, qui bibunt, & alios relinquunt loqui, quæ poſteriores ſinè dubio meliores ſunt, dum quodlibet convivium eô potiſſimùm fine inſtituitur, ut cibus & potus ab homine capiatur.

Silentium commendatur mulieribus.

PRudenti viro fœmina querebatur maritum ſuum vix ullo die non ebrium eſſe, & omnia ſusque deque rotare, ac domum miſcere. Querelas benignis auribus vir accipiens, arbitrabatur, id quod res erat; inſanam viri crapulam ſolutâ uxoris linguâ mirè ſtimulari. Remedium ergò non tantùm ſpondebat, ſed etiam in manus dabat. Et; En, ajebat, ô bonâ mulier! hanc tibi aquam cape; & ubi maritus tuus probè appotus domum venerit, tu hunc ipſum liquorem (erat aqua è proximo fonte) quàm primùm ſorbe, & eam in ore retine, dum in lecto virum compoſuêris: quantarum ſit virium hæc aqua, res ipſa loquetur: experiêris conjugem non multa turbaturum. Di-

ɛ̃to audiens fuit mulier, comperitque ſpei ſuæ reſpondiſſe omninò tam arcanæ nobilitatis pharmacum. Hîc fœmina ſollicitè virum illum quærere: Et quæ, obſecro, hæc aqua eſſet, & quo pretio comparari poſſet? O bona! inquit ille, è proximo quovis fonte petere illam licet, ſinè ullis impendiis; quod enim liquori tribuiſti, hoc ſilentio tuo adſcribendum fuit! quicquid lingua ligat, præſtantiſſimi pharmaci loco haberi poteſt.

Avarus decipitur.

IN nundinis Francofurtenſibus, quidam nequam plumbum, resque viliſſimas corîo inſuit, ac ſi res pretioſa eſſet, atque in conſpectu cujusdam divitis negotiatoris & multorum hominum faſcem illum clam ab ſe abjecit, atque poſtea leva-

levavit, quæritans an quiſpiam in tantâ turbâ rem illam perdidiſſet? Acceſſit dives parùm probus, atque ſuam eſſe conſtanter affirmavit. Cui deceptor: Eſtne res pretioſa, ut apparet? Pretioſam aſſerente negotiatore: Non recipies, inquit deceptor, niſi dones mihi decem aureos. Quod ille ſponte obtulit, & abiens corium aperuit, atque utilitate rei perſpectâ, mox deceptorem convenit ſeque fraudatum allegans, niſi ille decem aureos redderet, furcas minitatur. Cui deceptor: Cur ergò mendaciter & fraudulenter dixiſti, rem eſſe tuam? Et apprehensâ ejus manu, veni (inquit) mecum ad prætorem, & de noſtrâ improbitate experiamur. Negociator detraxit manum, atque ab omni accuſatione fugiendo deſtitit.

Vin-

Vindicta mariti.

CUidam vinitori erat mulier delicata, quæ dùm lautè vivebat; & marito pultem faratam in vineam exportabat. Semel domi remanſit in loco occultò maritus, & uxorem obſervavit: viditque illam duodecim ova in calefactum butyrum infundere, indè in cellam deſcendere, & peplo in dolium demiſſo vinum extrahere. Interim maritus altera duodecim, in ſartaginem ingerit. Reverſâ è cellâ muliere, cùm omnia ova non poſſet devorare, mirari incipit, & queritari de infirmitudine ſuâ. Sed repentè in medium proſiliit maritus, & fuſte arreptô tergum illius dolat. Nactâ occaſione ſe ulciſcendi mulier vicinas ad ſe convocat, ludum inſtituit, ut ſinguli ſeſe occultent ne inveniantur à quærentibus.

Ibi

Ibi maritus, ut omnium maximè latitaret, perſuaderi ſibi patitur, ut in ſacco includatur, & ſacco incluſum, mulier ſtatim verberare incipit, nec priùs deſiit, quàm maritus ſanctâ fide promitteret injuriæ oblivionem. Promittit ille quidem: ſed paulò poſt vocatus cùm uxore ad nuptias, inter agendum choreas uxorem manibus in altum tollens, & in gyrum agens, ubi ſcalis appropinquaſſet, è manibus excidere patitur.

Malè parta, malè dilabuntur.

VAldè exercitatus fur, egregiam & quæſtuoſam operam quâdam noctè navârat, compilatis aliquot divitum arculis. Itaque auro, argentoque refertum ſacculum portans, etiam in pauperis ædes devenit; quas ſcrutans, cùm nihil

hil inveniret rerum precioſarum, in farinæ tandem vaſculum incidit. Ne vacuus autem contra diſciplinam ſuam diſcederet, ponit ſacculum, in illum congeſturus farinam. At paterfamilias ſtrepitu excitatus de ſomno, & timens victui ſuo, in furem telo arrepto cùm clamoribus irruit. Ille territus, ex ædibus, ſacculo relicto, fugâ evadit. At paterfamilias excuſſo igne, & lumine illuto, magnas prædas contra ſpem & opes reperit: ille qui farinam relinquere noluiſſet, auro & argento caruit. *Malè parta, malè dilabuntur.*

Cur molitores non ſuſpenduntur, ut cœteri fures?

Reſponſio:

NE pereat totum opificium, quia omnes ſunt ejusdem farinæ fures.

Quid

Quid Chymico fecerit Le... Pontifex?

AD Leonem X. Pontificem ...ximum ingenioſus ve... adiit, qui artem Chymica... tabat, (quàm hoc ævo ex... multi, qui, dum aurum quæ... argentum etiam amittunt) libellum porrigens, quem de auro, è ... propemodum materiâ conficie... non ſine eruditionis fuco con... ferat. Pontifex donum non aſp... natus, benevolâ manu admiſit, & hominem reſponſo liberali cenſuit remunerandum. Cùm autem libelli Author inſigne, amplumque ſibi munus ſperaret. Pontifex amplam certè crumenam, ſed vacuam redonari juſſit, addito dicto: Non ingratum ſibi fuiſſe munus oblatum, & videri aureâ munificentiâ compenſandum, qua... tamen ille

inſ

ipſe ſcientiam certam conficiendi auri calleret, judicare Pontificem, commodiſſimos ipſi fore loculos, ut habeat, ubi aurum à ſe confectum reponat. O aurificem miſerum! qui mendicat, quod facere, quod donare poteſt.

Dolus Helluonum.

HOmo nequam, cum comite quodam, ſe ipſo nequiore, publicum diverſorium petiit, biduumque totum inter compranſores helluo perpotavit. Illi dein abituri, juſſerunt œconomum rationes facere. Ait hic, viginti eos Thaleros debere. Hîc incipiunt illi ex compoſito litigare, & uter ſumptus faceret, contendere. Poſtremò ſic cauſa deciditur, ut ejus rei arbitrium œconomo permittatur, eique oculi priùs arctè ſudario ligentur, qui deindè per hypocauſti ſpatia

ſpatia diſcurrens duorum alterum fortuitò comprehendat: utrumvis cepiſſet, is unus omnia ſolvat. Oeconomus nondum in fallaciæ ludo verſatus, probat conſilium; clauſiſque oculis, & linteo prorſum impeditis, ſtultiſſimus andabata divagatur. Quos dum tali venatu perſequitur, ſæpè in parietem amens incurrit; ſæpè irritus fornacem prehenſat, ſæpè dum pronus affligitur, à duobus effusè ridetur. Et hi aliquandiù perſeverarunt, jam videre ſcrutantem, & exire: jam velut in diſcrimine, pœneque deprehenſi, clamitare; rurſus ſilentio & metum ſimulare, & foribus appropinquare; donec utrique opportunum fuit, ut captâ fugâ per januam clanculò elaberentur, nusquam porrò reperiendi. Verùm Oeconomus, etiamnum ignarus, pergit nihilò ſegniùs tanquàm adhuc

huc præſentes irrito conatu prehendere; crebrôque, pedum ſtrepitu denique cauponem, qui ſubter agebat, perturbare. Is perindè ignarus, accurrit, viſum, ecquis tumultuetur? Videt cœcum Hiſtrionem in ſtultitiæ theatro agere; aut certè andabatam cum manibus umbris velitari. Itaque dum ingreditur, Oeconomus cùm tenebris, tum verigine confuſus, reperiſſe tandem ſe, quem quæreret, arbitratur. Proin dominum turbidiſſimè invadit, conſtringitque. Caupo, quòd hominem furere crederet, territus exclamat, ſeſeque complexu proripere laborat. Oeconomus, ne malum nomen à ſe profugeret itidem clamores tollit arctiusque hominem aſtringit. Vocat opem familiæ Dominus, vocat Oeconomus: queritur ille ſe à furioſo teneri; hic ſibi ab obærato de-

deberi. Oritur ingens vociferatio. Concurrit in ſpectaculum vicinia Dominumque vi eripit. At Oeconomus ſuum ſibi debitorem quæſtus eripi, confirmat inſaniæ opinionem. A quatuor proindè validiſſimis ſervis comprehenditur, atque per pedes manusque ſublimis attollitur: indidem in moriæ caveam compingendus publicâ viâ deportatur: ridentibus aliis, quòd intendidem clamaret, non ire ſe, cùm inter manus portaretur. Triduum ibi totum coactus fuit pro inſano morari miſer; quo toto tempore meditabatur, quibus tandem argumentis inſaniam conſideret: neque reperit tamen; cui ſanum ſe eſſe perſuaderet.

Malè

Malè parta, malè dilabuntur.

OEnopola vel vini mercator Lugdunenſis, ut lucra augeret, vinum aquâ miſcebat, & quia aquam pro vino vendebat, ad tempus non parùm hâc arte locupleatus eſt. Navigio igitur ad emporia trajiciens Ararim fluvium, marſupium penes ſe pecuniâ oppletum habebat. Interim, dum aliquid negotiatur, nummulum extrahit: marſupium verò; quod è pelle confectum fuerat; cùm à milvo conſpectum quaſi animal ob pilos putaretur, rapitur, & in ſublime fertur: at ubi milvus prædam ſibi non poſſe prodeſſe ſenſerat, dimiſit, quæ in profluentem lapſa ulterius conſpici nuſquam potuit. Iniquus mercator culpam ſuam agnoſcens dicebat: Quo peccavi, eodem

dem & jacturam patior; per aquam pecuniam congregavi, in aquam lucrum omne dilapſum eſt. Lucra injuſtè quæſita ubique injuſta, nec domi tuta ſunt.

Tempus, quô Berta filavit.

BErtæ, Henrici IV. Imper. uxori (quæ tunc Patavii degebat) ruſtica quædam ex vico Montagnano, Berta nomine, filum tenuiſſimè duxerat, & in urbem delatum, juſto pretio vendere non potuerat, dono obtulit. Illa & doni elegantiam, & ruſticæ animum admirata, Præfecto ſuo imperat, Montagnum ſubitò proficiſcatur, & tot terræ jugera ex publico agro Bertæ attribuat, quot filo honorario per longitudinem extenſo, circumdari poſſent. Sic ruſtica illa ex inopi ditiſſima evaſit, ita ut ab eâ Patriciorum Patavianorum familia (qui de

 Mon-

Vindicta mariti.

Cuidam vinitori erat mulier delicata, quæ dùm lautè vivebat; & marito pultem faratam in vineam exportabat. Semel domi remanſit in loco occultò maritus, & uxorem obſervavit: viditque illam duodecim ova in calefactum butyrum infundere, indè in cellam deſcendere, & peplo in dolium demiſſo vinum extrahere. Interim maritus altera duodecim, in ſartaginem ingerit. Reverſâ è cellâ muliere, cùm omnia ova non poſſet devorare, mirari incipit, & queritari de infirmitudine ſuâ. Sed repentè in medium proſiliit maritus, & fuſte arreptô tergum illius dolat. Nactâ occaſione ſe ulciſcendi mulier vicinas ad ſe convocat, ludum inſtituit, ut ſinguli ſeſe occultent ne inveniantur à quærentibus.

Ibi

Ibi maritus, ut omnium maximè latitaret, perſuaderi ſibi patitur, ut in ſacco includatur, & ſacco incluſum, mulier ſtatim verberare incipit, nec priùs deſiit, quàm maritus ſanctâ fide promitteret injuriæ oblivionem. Promittit ille quidem: ſed paulò poſt vocatus cùm uxore ad nuptias, inter agendùm choreas uxorem manibus in altum tollens, & in gyrum agens, ubi ſcalis appropinquaſſet, è manibus excidere patitur.

Malè parta, malè dilabuntur.

VAldè exercitatus fur, egregiam & quæſtuoſam operam quâdam noctè navârat, compilatis aliquot divitum arculis. Itaque auro, argentoque refertum ſacculum portans, etiam in pauperis ædes devenit; quas ſcrutans, cùm nihil

Quid Chymico fecerit Leo Pontifex?

AD Leonem X. Pontificem maximum ingenioſus vet... adiit, qui artem Chymicam ... tabat, (quàm hoc ævo exer... multi, qui, dum aurum quærunt, argentum etiam amittunt) libellum porrigens, quem de auro, è q... propemodum materiâ conficiendo non ſine eruditionis fuco conſcriptum ferat. Pontifex donum non aſpernatus, benevolâ manu admiſit, & hominem reſponſo liberali cenſuit remunerandum. Cùm autem libelli Author inſigne, amplumque ſibi munus ſperaret. Pontifex amplam certè crumenam, ſed vacuam redonari juſſit, addito dicto: Non ingratum ſibi fuiſſe munus oblatum, & videri aureâ munificentiâ compenſandum, quia tamen ille ipſe

ſpatia diſcurrens duorum alterum fortuitò comprehendat: utrumvis cepiſſet, is unus omnia ſolvat. Oeconomus nondum in fallaciæ ludo verſatus, probat conſilium; clauſisque oculis, & linteo prorſum impeditis, ſtultiſſimus andabata divagatur. Quos dum tali venatu perſequitur, ſæpè in parietem amens incurrit; ſæpè irritus fornacem prehenſat, ſæpè dum pronus affligitur, à duobus effusè ridetur. Et hi aliquandiù perſeverarunt, jam videre ſcrutantem, & exire: jam velut in diſcrimine, pœneque deprehenſi, clamitare; rurſus ſilentio & metum ſimulare, & foribus appropinquare; donec utrique opportunum fuit, ut captâ fugâ per januam clanculò elaberentur, nusquam porrò reperiendi. Verùm Oeconomus, etiamnum ignarus, pergit nihilò ſegniùs tanquàm adhuc

huc præſentes irrito conatu prehendere; crebrôque, pedum ſtrepitu denique cauponem, qui ſubter agebat, perturbare. Is perindè ignarus, accurrit, viſum, ecquis tumultuetur? Videt cœcum Hiſtrionem in ſtultitiæ theatro agere; aut certè andabatam cum manibus umbris velitari. Itaque dum ingreditur, Oeconomus cùm tenebris, tum verigine confuſus, reperiſſe tandem ſe, quem quæreret, arbitratur. Proin dominum turbidiſſimè invadit, conſtringitque. Caupo, quòd hominem furere crederet, territus exclamat, ſeſeque complexu proripere laborat. Oeconomus, ne malum nomen à ſe profugeret itidem clamores tollit arctiusque hominem aſtringit. Vocat opem familiæ Dominus, vocat Oeconomus: queritur ille ſe à furioſo teneri; hic ſibi ab obærato de-

deberi. Oritur ingens vociferatio. Concurrit in ſpectaculum vicinia Dominumque vi eripit: At Oeconomus ſuum ſibi debitorem queſtus eripi, confirmat inſaniæ opinionem. A quatuor proindè validiſſimis ſervis comprehenditur, atque per pedes manusque ſublimis attollitur: indidem in moriæ caveam compingendus publicâ viâ deportatur: ridentibus aliis, quòd intendidem clamaret, non ire ſe, cùm inter manus portaretur. Triduum ibi totum coactus fuit prò inſano morari miſer; quo toto tempore meditabatur, quibus tandem argumentis inſaniam confideret: neque reperit tamen; cui ſanum ſe eſſe perſuaderet.

Malè

Malè parta, malè dilabuntur.

OEnopola vel vini mercator Lugdunenſis, ut lucra augeret, vinum aquâ miſcebat, & quia aquam pro vino vendebat, ad tempus non parùm hâc arte locupleatus eſt. Navigio igitur ad emporia trajiciens Ararim fluvium, marſupium penes ſe pecuniâ oppletum habebat. Interim, dum aliquid negotiatur, nummulum extrahit: marſupium verò; quod è pelle confectum fuerat, cùm à milvo conſpectum quaſi animal ob pilos putaretur, rapitur, & in ſublime fertur: at ubi milvus prædam ſibi non poſſe prodeſſe ſenſerat, dimiſit, quæ in profluentem lapſa ulteriùs conſpici nuſquam potuit. Iniquus mercator culpam ſuam agnoſcens dicebat: Quo peccavi, eodem

dem & jacturam patior; per aquam pecuniam congregavi, in aquam lucrum omne dilapſum eſt. Lucra injuſtè quæſita ubique injuſta, nec domi tuta ſunt.

Tempus, quô Berta filavit.

Bertæ, Henrici IV. Imper. uxori (quæ tunc Patavii degebat) ruſtica quædam ex vico Montagnano, Berta nomine, filum tenuiſſimè duxerat, & in urbem delatum, juſto pretio vendere non potuerat, dono obtulit. Illa & doni elegantiam, & ruſticæ animum admirata, Præfecto ſuo imperat, Montagnum ſubitò proficiſcatur, & tot terræ jugera ex publico agro Bertæ attribuat, quot filo honorario per longitudinem extenſo, circumdari poſſent. Sic ruſtica illa ex inopi ditiſſima evaſit, ita ut ab eâ Patriciorum Patavianorum familia (qui de

Montagnano dicti ſunt) clariſſima fluxerit. Vicinæ mulieres, Bertæ exemplum imitatæ, cum filo Reginam obruerent, acutè ſingulis reſpondit: Animum veſtrum laudo, ſed benedictionem Berta præoccupavit. Quod apophtegma in Patavino agro proverbii vim adhuc obtinet, quando diſparem temporis conditionem expreſſuri ajunt: Non è piu il tempo, che Berta filava.

Ruſtici improperatio.

QUidam è feneſtrâ proſpiciens, & agaſonem videns, aſinum multis ictibus impetentem, hominem inclamat, cur miſerum animal tam crudeliter tractaret? Ignoſce, inquit ille: mihi Domine! neſciebam ego, aſinum meum tantâ tibi cognatione junctum, ut tantam ejus curam geras.

Paro-

Parochi lepidum inventum.

RUſtici cùm pro concione dicentem Paſtorem, prolixæ orationis faſtidio, ſæpiùs deſtituerent, parochianis omnibus collectis, egrediebatur oſtia obfirmaturus valvis, volentes nolentes trium horarum ſpatio in templo coërcuit, & ita quod diù neglectum fuit, unâ vice reſartum.

Pellis craſſiſſima.

SEniculus Juvenculam habens uxorem, quendam Studioſum Medicum interrogat, ubi pellis eſſet craſſiſſima? Reſp. Medicus: In vertice; pridem enim vobis aliàs cornua creviſſent.

Ovumne antè Gallinam fuerit, aut contra?

Reſp. GAllina antè ovum fuit: DEUS enim opera perfe-

ſcta produxit in prima creatione, ſed ovum non foret perfectum, quia tenderet ad perfectiorem ſtatum ; atque ſic Gallina fuit antè ovum.

Malus Carminifex.

CArmen quoddam Marcus Laudenſis Clementi VIII. Pontifici legendum exhibuerat ; qui vix tertio lecto verſu, Eho, inquit, Marce! verſus hic unâ ſyllabâ juſto brevior eſt. Tum Marcus ; Nihil refert, mox Sanctitas ſua alium inveniet, qui tanto ſit longior.

Epitaphium Ridiculum.

QUia ſemper petitis quod volo vobis nova ſcribere : & ego tamen ſæpè ſcribo vobis ; ſed non juvat, ego iterum ſcribere vobis volo:

volo: & credo quod ſufficiet. Venit mihi in litera ex Romana urbis Curia, quod Matthæus Finck, ſingulariſſimus fautor veſter eſt mortuus, & aliqui Cuttiſani Lanſmanni ſui habuerunt me rogatum, quod volo ei componere Epitaphium, quod feci ſic;

Hic jacet extinctus quondam venerabilis Fincus;
In rubea toga pro eo DEUM *roga,*
Cujus olim venter bibit Corſica vina libenter:
In fide ſyncera & Charitate vera.

Apelles ad Alexandrum.

ALexander Magnus in Apellis ædibus de picturâ judicium ferens, dum quædam ab arte planè aliena diſſeruiſſet Apelles, in aures ipſi

ipſi inſuſurravit: Aut iſtis de rebus omitte diſputare, ô Rex! aut ſubmiſſiùs loquere, ne pueri, qui colores terunt, te audiant ſimul & rideant. Ne ſutor ultra crepidam!

Quid faciendum?

TRansactis Bacchi feriis, caveamus, ne in quadrageſima naturam bubulæ quadrageſimalis induamus; dicere quidam ſolebat: caveamus, ne cum carentibus voce obmuteſcamus, & partem piſcis comedamus ſinè bono vitro vini: aſt vinus, vina, vinum,

Maſculinum diſpliceat, atque fœmininum,
nam in neutro genere vinum eſt divinum,
facit omnem Clericum optimum latinum,
Plurimum autem quia paſſim dicitur:
Noli-

Nolite vina mirabilia præterire,
quod & vetulas facit leniter garrire,
Recreat pauperes, claudos facit ire.
Nutis dat eloquium, & ſurdis audire.

Ruſticus ſimplex.

Ruſticus videns Catellum Melitenſem quatuor coronatis venundari, domum revertens, aliquot moloſſos copulatos, ad forum duxit; non dubitans, ſi minores tam caro pretio vendantur, quin majores longiſſimè illud pretium ſint exceſſuri.

Reſponſio ingenioſa.

Quidam pro more loci Galerum viridem geſtabat; ut purpureum obtineret; miſit Nepoti

Pontificio in diſco argenteo, ceraſa immaturitate viridia: inſculpſitque margini lemma: *Te ſole rubeſcere gaudent.* Reſpondit Nepos: Serò rubeſcent: obſtante majorum & digniorum umbrâ, ſolis radii accedere nequeunt.

Vorax.

EO Voracitatis quidam progreſſus fertur, ut noctè quadam in ſomno uxorem propriam abſumpſerit: cumque manè experrectus illius manum in ore deprehendiſſet, præ doloris vehementia ſemetipſum jugulaverit.

Libertas.

PRinceps captivus fortique vigiliâ circumſeptus, cum ab amico, ſpem libertatis prætendente, ſola-

ſolaretur, reſpondit: volucres mihi concolores, non includuntur caveæ, ut ſtatim libertate donentur.

Cibus Tyrannorum & diabolorum.

LUdovicus duodecimus Galliæ Rex, plebem & ruſticos militum & Tyrannorum cibum eſſe ajebat, Tyrannos verò & milites, delicias eſſe diaboli.

Ridicula Epiſtola cujusdam Pennaliſtæ.

NOndum ſcriberem ad te, ſi non neceſſitas altiſſima me ad chartam raperet, quemadmodum Angelus olim pro temporibus Prophetam Habacucem apud crines rapiebat, & illum in foſſam ad Danie-

lem ducebat. Nam poſtquam redii in Parnaſſum, inveni illum, quod in omnibus mutatus eſt. Tibi non eſt neſcius, quomodo Studentes olim fecerunt, & quam benè & hilariter potuerunt vivere, & ſtudio ſuo ita potuerunt aſſumere, ut nihil ſupra fuit. Sed jam non magis eſt ſic, & miſerabiliſſimus eſt ſtatus cum bonis Studentibus. Potebamus nos pravè exercere in bibendo & ſchmauſando, & quandò non ibat, ſicut ut nos volebamus, densè nos verberabamus; Et ex hoc habebamus hunc fructum, quandò volebamus fieri Juriſti, non timebamus pro noſtro adverſario, & ſua acutâ pœnâ, & potebamus ipſi in oculos adſpicere, quorſum volebat verberare; ut aut per ſecundam aut per tertiam, interdum etiam per ſeptimam, ut dicitur, per ſeptimam libenter mentiuntur,

ex-

exſumebamus verberem. Et quandò volebamus fieri Theologi,tunc non ſtabamus ut lignum in cancellaria, ſed brachia poteramus movere tam artificiter, ut omnes homines id mirabant & ridebant. Quandò verò Medicus volebamus fieri, tunc benè potebamus adſpicere vulneres, & cicatricia, & ſanguem: Et quod magniſſimum eſt, quia homo eſt animal, qui libenter cum aliis circumit, ſicut dicit ſapiens Apoſtolus Ariſtoteles, cantharum unum vel duo cereviſiæ vel etiam vini potebamus cum invicem bibere, & non rixare, quod non feceramus alteri decretum, quia illud benè docueramus in Academia. Super illud etiam Doctori & Præceptori noſtri ſæpè etiam pro charo ſumebant bonum diem, & quandò erant feſſi bonorum dierum, tunc legebant interdum ho-

ram vel dimidiam horam, ita ut quilibet mirabat, quod tam perfectiter potebant, & nos credebamus, quod omnia certè ſic erant. Indè parcebamus multùm in noſtrâ valetudine, & non debebamus caput noſtrum tam ſæpè frangere ſuper tam multas res. Et nos habebamus unam bonam ſectam, quæ omnibus tam benè placebat, ut jurabamus, quod nos apud illam vivere & mori volumus, ſicut Turca juraverit, vivere & mori apud fornacem, & huic ſectæ Patronus erat Ariſtoteles. Etiam non erat malum factum, quandò Virginem unam vel ſecundam quærebamus, & cum illa parùm loquebamus, multò magis etiam faciebamus, ut intelligabat, quod nos benè cum illa ſentiamus & boni Studentes ſumus. Ex quo Juriſtus potebat docere, quomodo clientem ſuum poteſt

teſt obviam ire, ut accipiebat, quod libenter habebat; Theologus poterat docere, quomodo poteſt ſolare mœſtos & triſtes meretrices, quando libenter volunt habere virum & non poſſunt capere; Medicus verò, quomodo poteſt ægroto in pulſum prehendere, & quomodo ille vapulat, ut quomodo unum ex ſecundo ſequitur. In ſumma, unusquisque potebat cum voluptate & amore docere, quod volebar. Verum proh dolor! omne mutatum eſt: Dii jam volunt ruinare Parnaſſum, quia prohibiverunt, ut nemo magis ſe vapulet cùm invicem, & concluſerunt, quod omnibus illis volunt dare rubram ceram, vel rubrum Regem vel Cæſarem, qui ſe cum invicem vapulant. Imò tam valdè perſequuntur bonos Studentes, ut etiam eis volunt caput eſecare, & ſuſpende-

re & notificare, qui non omittunt vapulare. Quid aliud poteſt ad hoc ſequere, quam hoc, ut ſtamus ſicut patrueles canes, Germ. Hunds-vettern, quando adverſarium accipimus. Ad hoc venit, quod etiam Doctores noſtri noſtram valetudinem non tam valdè parcunt, ſicut olim. Nam legunt nobis fere omnes dies, & volunt, ut nos debeamus reſpondere, quando nos quærunt; & etiam non ſunt contenti, quando dicimus, Aſinus non volat, quia id dicit Apoſtolus Ariſtoteles, ſed volunt, quod & nos aliquid addimus, & dicimus, cur non volat, nempè, quia non habet pennas, quaſi verò ipſum Ariſtotelem non dixiſſet verum. Et ſuper quo maxime flere debemus, quàm mox imus ad cerevifiam vel Virginem Catharinam vel Sybillicham, tunc pene nos eſt Pedellus, qui nos pro-

dit.

dit. Quid multa; ad omnes latteres, ad dexteram & ad ſiniſtram manum bonus Studens circumdatus eſt, Satanas mundus & propria caro ipſum impugilant, ut meritò exclamat: O mihi præteritos reddat ſi Jupiter annos? Tu autem mi Moroſe, tibi gratulare potes, ut ſtudium tuum in feliciore tempore ad finem tuliſti. Et ego etiam videbo, quod mox ex Parnaſſo Proficiſcor, quia mihi non placet, & illud etiam optimum eſt.

De quodam Advocato.

Quidam Advocatus, poſt multas cauſas, in quibus victor evaſit, Monachus factus eſt; & cum in negotiis monaſterii præpoſitus, multis in cauſis ſuccubuiſſet, interrogatus eſt ab Abbate. Cur omninò in cauſis agendis mutatus eſſet.

eſſet ? Reſpondit ille : Non audeo mentiri ut antè, ideò amitto cauſas.

Gonellæ factum.

NIcolaus Marchio Ferrarienſis Gonellæ facetiſſimi joculatoris equi caudam clanculùm abſcindi juſſit. Ille hoc percepto, aſellis, qui eodem in ſtabulo nutriebantur, particulam labrorum ſuperiorum abraſit. Delatus apud Principem non excuſavit factum: rogavit tantummodo damnum uti æſtimaretur, ipſiusque ad conſpectum religati producerentur, quo æſtimatio æquiùs fieri poſſet. Primò itaque loco rectè ducebatur Gonellæ equus, caudæ vix fruſtrum motitans. Subſequebantur aſelli ſuo ordine illigati. Qui ut antè illius conſpectum ſtetere, resque ipſa omnium

Digitized by Google

oculis expoſita eſt, atque animadverſa, nec Princeps ipſe, nec quiſpiam ex iis, qui aderant, fuit, quin riſu dirumperetur. Tum Gonella, nec tu, Princeps! in ſolio conſtitutus, nec quispiam è judicibus, quamvis gravis ac ſeverus, ad hoc ipſum ſpectaculum tenere riſum potuit, tune aſinos, tune beſtiolas, has à riſu continuêris, dum equum tam ipſis familiarem decaudatum contuentur? Quo auditio iteratus eſt riſus, Gonellaque ipſe abſolutus, commendatusque, uti facetorum omnium Princeps, ſuaviſſimarumque facetiarum artifex ſuaviſſimus.

Reſponſio Doctorandi.

QUidam Doctorandus interrogatus, num ex honeſtis Parentibus eſſet procreatus? reponit iracundus Notario: Scribe; Mater

dicit,

dicit, Parens & ego credere debemus, & ſtultus interrogat.

Reſponſio arguta.

SAtrapa pinguedine, quam authoritate gravior, obviantem ruſticum, cum veſperaſceret, interrogabat, num per portas adhuc intrare poſſit? id eſt, an easdem attingere poſſet, antequam occluderentur; Ruſticus inſolentem corporis craſſitiem conſpicatus reſpondit ore ridente, quidni tu per portas intrare poſſes, ubi earum amplitudo currum fœno onuſtum intra ſe recipit?

Concionatoris modus reum inveniendi.

QUidam Eccleſiaſtes inter ſuos auditores adulterum eſſe noverat,

verat, qui nihilominus, licet jam ſæpè admonitus eſſet, à crimine iſto deſiſtere nolebat. Quò igitur Paſtor eum ab ejusmodi peccato abſterreret, aliquando poſt peractam concionem auditores ſuos his verbis allocutus eſt: Chariſſimi auditores, novi inter vos adulterum, qui poſt complures admonitiones necdum ab horrendo ſcelere iſto abſtinuit; eum igitur hodiè primâ vice admonitum volo, ut tandem aliquando pœnitentiam agat, & vitam ſuam pravam emendare velit: aut ego proximâ dominicâ illius nomen patefaciam. Sequente dominicâ Paſtor eandem quidem admonitionem iteravit, ſed fruſtra.

Tertia tandem dominica peractâ concione Eccleſiaſtes ad auditores ſuos his verbis peroravit: Haud vos latet, chariſſimi, me jam bis quendam inter vos adulterum publicè

licè ac feriò adhortatum eſſe, ut ab adulterio deſiſteret, comminatumque, me eum palàm eſſe vobis factururm, ni monitionibus meis locum daret : quando igitur usque huc ſpretis meis admonitionibus nondum ſe emendavit, vobis eum manifeſtum faciam, & iſto lapide, (interea lapidem è manicâ promebat, quaſi projecturus eum in adulterum) ejus verticem tangam. Verum dum fingit ſe lapidem in adulterum eſſe jacturum, plurimi auditorum ſuorum ſeſe inclinantes, capita incurvabant ictum ſinguli timentes. Quo viſo, Paſtor, Oho! exclamat; putaram unicum tantum adulterum inter vos eſſe, ſed ut video, complures adſunt.

Tubicen civilis.

DUx Urbinas fortè aquam rapidam & voticoſam equo inſidens

dens tranſiturus erat. Itaque ad vadum prætentandum, tubicinem ſuum ante ſe equitare juſſit. Tubicen mox retrò converſus, capite nudato, magnâ cum reverentiâ, avertat DEUS, inquit, ne ſim tam agreſtis & inurbanus, Illuſtriſſimæ Excellentiæ Veſtræ, ut in aliis omnibus, ita hic, quoque præcedentia debetur.

Acuta reſponſio.

ULyſſes Spinius centurio, quum milites non ſemel ob tardam ſtipendiorum ſolutionem tumultuari conantes, ſuâ fide interpoſitâ, ægrè in officio continuiſſet, tandem allato unius menſis ſtipendio, & inſtitutâ luſtratione, Commiſſarius ex militibus unum, tanquam extra numerum is, & adſcititius eſſet, arguit, inter cœtera dicens, faciem

ciem ſibi hominis notam, & alias viſam, eidem tamen è primoribus dentem unum defuiſſe; at nunc nullo carere. Tum centurio indignabundus; Quid hoc mirum? inquit: Tamdiu vos cum ſtipendio emanſiſtis, ut intereà huic novus dens ſuccreverit.

Servus ridens.

SOlet recitari hiſtoria de quodam nobili divite, qui cum eſſet pius, una cum uxore & liberis ſemper ſolitus eſt dicere precationem ad menſam. Riſit autem ſervus. Id cum aliquando videret uxor, indicavit marito. Qui obſervans ſervi geſtus, inter orandum, vidit illum ridere. Interrogat igitur ſeriò, cur rideat? Reſpondet ſervus, quidni rideam? Quia vos oratis, nec cogitatis vobis non opus eſſe oratione,

ne, cum ruſtici veſtri cogantur omnia apportare.

Lis in favorem accipientis.

QUidam aſtabat ad feneſtram fructuariæ, ſivè Græcè mavis operapondis, fœminæ vehementer obeſæ, oculis intentis in eâ quæ propoſita venum erant. Illa ex more invitavit, ſi quid vellet: & dum videret hominem intentum ficis, Vis, ait, ficos? ſunt perquàm elegantes. Quum ille annuiſſet, rogat: libras vellet: Vis, inquit, quinque libras? Annuenti, tantùm ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit lances, ille ſe ſubducit, non curſu, ſed placidè. Ubi prodiiſſet, acceptura pecuniam, vidit emptorem abire; inſequitur majori voce quam curſu. Ille diſſimulans pergit, quò cœpit ire: tandem

dem multis ad fœminæ vocem concurrentibus reſiſtit. Ibi in populi coronâ agitur cauſa, riſus oboritur, emptor negabat ſe èmiſſe, ſed quod ultrò delatum fuiſſet, accepiſſe: Si vellet experiri apud Judices, ſe compariturum.

Ridicula interrogatio.

RIxabantur duo ejusdem farinæ inter ſe, tandem, poſtquam multis ſeſe Epithetis condecoraſſent, ad imprecationes deventum, unus itaque; utinam tu & omnes tibi ſimiles cornigeri, in mari natarent! Imprecantis mariti uxor, hoc ut inaudivit, tremulâ voce, mi marite, inquiebat, nunquid & tu natandi peritus.

Conſuetudo altera natura.

FUit fœmina, quæ cum vicinâ quotidiè potitabat ad ebrietatem;

tem ; accuſatæ magiſtratus potatione vini interdixit. Annuit illa, & ſe obſecundaturam dixit; dummodo ſibi tunc fas eſſet merum bibere quando aliquid venderet, aut emeret. Inter vinum enim, dicebat venditiones & emptiones eſſe meliores. Conceſſit hoc Magiſtratus. Habuit hæc fœmina domi capram. Eam alternis diebus vicinæ ſuæ compotatrici vendidit ; & alternis rurſum emit ab eâdem. Sic quotidiè, ut priùs, dum contractum hauſta ſanciret, potitabat. Nempè Æthiopem, aut laterem facilius eſt lavare, quàm emendare mulierem. Septem pelles habet: ſi unam detraxeris, invenies adhuc duriorem, ultima callum erit.

Reſponſio arguta.

DOctus quidam homo ad Principem vocatur, & variis de rebus interrogatus, tam ſapienter ad omnia reſpondit, ut omnibus eſſet admirationi, præſertim dum non admodum provectæ ætatis videretur. Tandem Princeps, quot natus eſſet annos, rogans illo quinquagintà jam ſe impleſſe dicente, Princeps, qui fit, inquit, quod nondum caneſcas? Tum ille detracto pileo, quo caput hactenus tectum habuerat canos oſtendit: quos miratus Princeps; At quid rei ſit, inquit, quòd in barbâ bonâ vix ullum caniciei appareat veſtigium? Nihil mirum, inquit alter, dum barba viginti annis junior ſit capillis.

De-

Deceptor decipitur.

DOcuit cauſidicus quidam furem, ut in judicio mutum ſe ſimularet, nec aliud ad quæcunque interrogata reſponderet, quàm Pa pi, Pa pi Pa; ſic fore, ut à ſuſpendio evaderet liber: poſtea verò ſibi decem aureos nummos daret pro honorario. Obſecutus fur, evaſit ſuſpendium, poſtulante promiſſam pecuniam Cauſidico, fur non aliud reſpondebat, quàm ab eo edoctus fuerat: & quantumcunque urgeretur, ſemper illud occinebat, Pa pi, Pa pi Pa. Quâ ratione etiam à Cauſidico ſe fur liberavit.

Simplicitas cujusdam Suevi.

CUm Anno 1618. aſtra Cometam exhiberent, ſimplex Norlingæ Suevus fumum è camino aſcenden-

rem conſpicatus, contubernales ſuos vocabat, dicendo: Surgite! ſurgite! nunc Cometa prodibit, cauda enim jam dudum à me viſa.

Simplicitas quorundam.

PRopè patriam meam eſt vicus agreſtis, iſtic dicuntur inprimis eſſe ſimplices ruſtici, illorum unus ſemel ad forum profectus, cum domum rediret audivit in confinibus duos cuculos ſibi invicem ſuo cantu reſpondentes. Erat autem in ſylvâ hâc unus, alter in ſylvâ finitimæ villæ; Et cum cuculus alterius ſylvæ, ſuum clamore ſuperare videretur, ille demiſſo equo, cui inſidebat, arborem, atque ſuum cuculum ſtridore illo incompoſito adjuvabat. Interim lupus equum illius devoravit. Quare ruſticus repetens domum ſuis ſociis conque-

queſtus eſt; quomodo propter Reipublicæ honorem & communis emolumenti gratiâ (quòd ſuum cuculum juviſſet) accepiſſet hinc non mediocre damnum. Undè illi conſenſu communi & impenſis, damnum illius ſublevarunt: indignum judicantes, ut qui pro ſalute & honore publicâ laboraſſet, indè jacturam pateretur.

Concionator parùm facundus.

CONcionaturus quidam Sacerdos ſuis ruſticis, incœpit: Salutat vos Lucas Medicus, ut ſacræ litteræ habent: Sed poſt ità obſtupuit, ut ne unum quidem verbum enunciare potuerit ulterius. Cui ex ſenioribus unus aſſurgens dixit: Habeat gratias, atque ſi quando ad eum Reverentia veſtra redibis,

 di-

dicat & illi noſtro omnium nomine plurimam ſalutem.

Reſponſio Sponſæ.

SPonſam juvenculam, quæ ſeni marito nupſerat, quidam in Nuptiis, ut mæſtiorem ſolitò conſolatus: Bono animo, inquit, eſto: nam vetulus equus tam longum iter poteſt conficere quam juvenis. Huic illa, ductis ex imo pectore ſuſpiriis & manibus ventrem demulcens reſpondet: At non in hâc ſemitâ.

Reſponſio arguta Clerici.

REx Franciæ Philippus clericos quoſdam pauperes ad cœnam invitaverat, at unus illorum in fine menſæ caponem abſtulit. Illum Rex animi gratiâ ſemotis arbitris inter-

terrogat quam ſcientiam profiteretur, Theologiam inquit, tum Rex: Nonne legiſti in Scripturâ: Nolite eſſe ſoliciti de cibo. Imò reſpondit, & ego volui deponere omnem ſolicitudinem & certus eſſe, ideò caponem mecum ſumere volui.

Aſtutia mulieris deluſa.

Mulier plagis verberibusque peſſimum in modum à marito accepta, exanimem ſe continendo ſpiritum, & ſupina planeque immobilis jacens, ſimulabat, quò ita miſerum in ſummum timorem adduceret, ut qui parricidium deſignaſſet. Vir non ignarus illius, quod de natione fœminarum ſcribit Propertius;

At vobis facilè eſt verba & componere fraudes,
Hoc unum didicit fœmina ſemper opus.

 Hem!

Hem! inquit, belluæ jam mortuæ pellem detrahere me oportet. Cultrum arripit, à pede imò ſecare incipit. Ibi illa ſimulatrix præ dolore exclamans, pedem retrahit, confeſtim exurgit. Siccine! ait maritus, mortui ad vitam redeunt? Clavum clavo pepulit, vulpinatus eſt cum vulpibus.

Miles ſtrenuus.

MIles ex bello redux in ſignum ſtrenuitatis brachium hoſtile attulit, rogatus cur non apportaret caput? ait: Si ille, cui brachium obſecui, habuiſſet caput, profectò illud abſectum attuliſſem.

Fraus.

ÆDituus quidam Marburgenſis emunctæ naris homo, ali-

quan-

quando in nundinas Francofurtenſes proficiſcebatur. Magna tunc erat caloris vehementia, ſic ut pallii ſeſe ſui (quod ſatis longum & grave geſtabat) onere aliquamdiù levari poſſe non parum quidem ſæpè exoptaret. Fridebergæ antè portam, qua Francofurtum verſus itur, aliquo usque delatus, in Judæum quendam Fridebergenſem ad easdem nundinas iter facturum, fortè fortunâ incidit. Cum eo verba ultro citroque commutat; & cum milliaris quadrantem fortè unum excurriſſent, tandem Judæum hunc in modum alloquitur: Cùm in mercatu hoc Francofurtenſi à Studioſis nonnullis, qui in ære meo ſunt, pecunias ſim accepturus, & nunc quidem ab omni planè argento deſtituar, ſic magno abs te opere, Judæe! peto quæſoque, ut thalerum mihi mutuò dare ne gra-

veris. Ut verò cautum ſit, pignoris loco pallium tibi meum trado; quod ſi hoc ipſo die pecuniâ tibi tuâ reſtitutâ non luam, perpetuò tibi reſervabis. Annuit Judæus, & dat thalerum, accepto pallio, æditui mutuò. Cùm autem jam ad portas Francofurti deveniſſent, ædituus hic egregius noſter thalerum ex marſupio depromptum Judæo reſtituit, & pallium ab eodem ſuum repetitum ad ſe recipit, eique gratias amanter agit, quòd ſuum ſibi pallium in hoc intenſiſſimo caloris æſtu eô usque deportaſſet. Judæus verò ſpe lucri deceptus, totus in fermento jacet, quòd verba ſibi tam turpiter data eſſent, atque res ſecus, ac putârat, cecidiſſent.

Corollarium Grammaticum.

AN Cornelius poſſit declinari? Affirmamus præterquam in geniti-

nitivo caſu, quem non putamus declinabilem.

Corollarium Dialecticum.

AN Cornelius in homine habeat reſpectum ſubjecti occupantis, an ſubjecti occupati? poſterius affirmamus; nam falſum eſt, quod vulgò dicitur, nos habere Cornelium: Nos enim Cornelium non habemus, ſed Cornelius nos habet.

Marci aſtutia.

MArcus quidam domeſticus, dum carnem duram & nigram menſæ appoſitam vidiſſet, continuò quantâ potuit celeritate, neſcio quid murmurans, ſe proripuit. Paulò poſt vultu lætabundo reverſus, & à ſociis rogatus: cur tam properè à menſâ ſurrexiſſet? Equidem

ait, ô ſocii, & commenſales chariſſimi! dici vix poteſt dum primùm carnes has menſâ inferri vidi, quantopere conturbatus fuerim. Argumentum enim è colore, odore, ſapore & duritie ſumens, jam de meâ mulâ actum, hasque ipſius carnes eſſe putabam: celeriter ergo ad ſtabulum cucurri, ut, an ſuperſtes adhuc eſſet, viderem eâque vivâ adhuc & integrâ inventâ, lætus jam ad vos redeo.

Venetus Phantaſta.

EGo aliquando vidi Venetum quendam, qui cum navim conſcendiſſet, ut primùm intellexit nautam appellari Maltempo, è navi illicò, cæteris videntibus, proſiliit, nec ullo modo cum eo iter facere voluit.

Dir-

Dirimitur lis quædam ridiculè.

GEnuenſis quidam navarchus Anglico bello Gallis militans, geſtabat ſcutum, in quo bovis caput depictum erat, conſpicatus hoc Gallicus nobilis, cùm illud armorum inſigne ſibi vendicaret, ortâ altercatione, Gallus Genuenſem ad certamen provocavit. Genuenſis acceptâ conditione, in campum ad certamen nullo apparatu deſcendit: alter autem multis impenſis ornatiſſimus in campum conſtitutum venit. Tum Genuenſis: Quid eſt, inquit propter quod certaturi hodiè ſumus? Ille: aſſero, inquit, tua inſignia mea meorumque priusquam tuorum fuiſſe. Et Genuenſis: Quæ nam ergò tua ſunt? Caput bovis, ait hic Genuenſis; Non eſt opus certamine aliquo, inquit:

nam hoc quod porto, non bovis, ſed vaccæ eſt caput.

Mira tractatio mariti.

QUidam maritus primo nuptiarum die uxori faciem totam pugno contudit. Accurrentibus amicis & parentibus, & interrogantibus, quid illa commiſiſſet, quòd tam malè eam tractaret? Nihil, reſpondit. Admirantibus & altero alterum intuentibus, ſubjunxit ille: Quum abſque causâ eam verberarim, cogitate quàm malè, ſi cauſam mihi dederit, eam ſim tractaturus.

Aſini & Leonis certamen.

CErtabat de Regno Aſinus cum Leone, convenit, ut decerneretur curſu, eſſetque penes eum rerum ſumma, qui curſu viciſſet. Spa-

Spatium curſui deſcribitur, ut à molâ quâdam mons proximus trajiceretur. Nihil moratus Leo à lineâ. Aſinus quia ſequi poterat, non procul à lineâ conſiſtit. Ubi verò ſuperavit montem Leo, deprehendit paſcentem in valle alium quendam Aſinum, quem quia putabat eum eſſe, quocum pepigerat. Dolet ſe victum, neque ceſſurus videtur, niſi rediens eôdem ſpatio rurſus prævertat currendo, placet conditio, & Leo majori vi contendens ad metam, non procul à molâ Aſinum, quo cum primum pactus erat, offendit. Hic quia putabat ſe rurſum ab aſino victum, ceſſit ei regnum, manetque hactenus ſumma rerum penè aſinos.

Simplicitas Sabaudi.

QUidam Sabaudus vidit Moyſen ſenilem cum grandi barbâ depi-

pictum, tenentem 12. Tabulas, cum inſcriptione: Exod. XX. Bonus Sabaudus putabat, quòd vocetur Exod. & 20. annos haberet; undè inquit, Mirabilis Senex 20. annorum.

Incolarum ſimplicitas.

COnfecerant pueri draconem volantem, & noctu extra urbem in loco editiori montis, cujus dorſo Urbs impoſita eſt, vento commiſerant, ut urbi volando immineret. Videbant rem inſolitam, & nunquam anteà viſam incolæ, & egreſſi attoniti in genua ſe provolvebant, maximoque ejulatu DEI miſericordiam implorabant, donec errore ſuo cognito luctus in riſum fuit converſus. Ab eô tempore vicinæ urbes omnes, quam primùm aliquem ex urbis hujus incolis conſpi-

ſpiciunt, cachinnis eum excipiunt, & miſericordia, miſericordia ingeminant; quo audito fremunt, & vindictam ſpirant, nec ſinè graviſſimâ offenſione id nomen, quacunque etiam occaſione prolatum, audiunt, credentes in irriſionem & ignominiam eorum id efferri.

Interrogatio & reſponſio conſentiunt.

FAmiliares duo ſeriis jocos commiſcebant, ad tempus fallendum alter alterum quovis modo agitabat; inter cætera aſtutior (ut ſibi perſuadebat) hiſtoriam narrabat: piſcator cancribus capiendis inhiabat, ubi verò foramen profundius penetraret, ex improviſo manum hominis extraxit. Adhæc alter, ô perverſum nebulonem, qui manum foramini injecit!

Fu-

Furis dexteritas.

CUm aliquando juſſu Caroli V. Imperatoris aulici omnes ad iter ſe præpararent, ſinguliſque occupati eſſent in reculis ſuis convaſandis, quidam ex genere furum audaciſſimus, captatâ hac occaſione, ingreſſus eſt conclave Imperatoris: cumque videret familiares illius ac domeſticos adeſſe quàm pauciſſimos, qui ad nihil aliud ſe applicabant, quàm ut Cæſarem, qui jam equum aſcenſurus erat, ad iter accingerent: accedens propiùs ad Imperatorem, & genibus more Aulico flexis, mox magnâ feſtinatione cœpit colligere tapetes & aulæa affixa, atque in unum faſcem ſcitè admodùm inſpiciente Imperatore complicare, eaque, quò voluit aſportare: ut Præfectum aulæorum ſcilicet hoc labore ſublevaret.

Malè

Malè orans.

QUidam auceps, cum aucupio intentus eſſet, atque orare ſimùl inſtituiſſet, cœpit dicere: Pater noſter qui es in cœlis, & cum res non ſucceſſit ex ſententiâ, imprecatus eſt epilepſiam & ſacros ignes atque iterum in oratione progreſſus: Sanctificetur nomen tuum. Mox turbatus dixit: Dii ſuperi & inferi malè velint! Progreſſus ultrà: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, ita & in terrâ. Mox incommoda proſpiciens ad ſolitas imprecationes regreditur atque orando ſimul & maledicendo multùm diei conſumpſit. Nonne hunc exaudiet Dominus? Vix.

Corollarium Politicum.

AN deceat in benè conſtitutâ republicâ Cornelioſos habere, nega-

gamus: tunc enim, teſte Platone, beata eſt respublica, cum cives ſunt beatiſſimi. At beatus nemo dicitur propriè, qui Cornelio afficitur. Ergò, &c. Si qui igitur cives Cornelium habent, id de facto fieri apparet.

Corollarium Hiſtoricum.

AN Cajus Cæſar, cum acceptis vulneribus veſte faciem tegeret jam moriturus, ſub illa veſte Cornelium habuerit? negamus. Eſt enim hoc Cornelii genus irregulare rectiusque dicitur ægrotus eſſe, qui vulneribus confectus animam agit.

Ratio ridicula Cornuto data.

VIr Juvenis vigeſimo vix anno completo, nullum ampliùs in ſupe-

ſuperi mandibulo dentem alebat: de hoc inſolito & inaudito quaſi varii commiſcebantur diſcurſus; Unus facundior cæteris lepidiſſimâ ratione phyſicâ reſolvebat, dicendo: non ego, Domini mei! hoc inter rara numero, ubi ex Ariſtotelis opinione animalia cornuta careant dentibus in ſuperiori mandibulo, eô quod materia, dentibus alioquin deſtinata, huic, ut cæteris animalibus, in cornua tranſierit.

Corollarium Juridicum.

AN Cornelius poſſit contra Corneliosum agere interdicto, uti poſſidentis. Negamus, quia Cornelius vi poſſidet, cui non datur hoc interdictum, l. 1. §. vult. ff.

Corol-

Corollarium Medicum.

AN Corneliosus, quatenus Corneliosus est, poſſit dici Cacochymiâ laborare: atque phlebotomiam utiliter adhibere. Negamus, niſi per accidentiam, ſi nimirum Cornelius tenacior ſit.

Corollarium Phyſicum.

COrnelium augmenti & decrementi eſſe capacem, atque ita ſubjacere alterationi, arbitramur, contra Ariſt. de generat. & corrupt. lib. 3. c. 33.

Superbus irridetur.

VEnit quidam pannoſus & deformis homo in cauponam, & cum ab omnibus negligeretur, cœpit tandem jactare ſuam nobilitatem, fami-

familiam vetuſtiſſimam, compotatoresque eſſe homines rudes & barbaros, qui eum non debitâ reverentiâ proſequerentur. Et cùm jugiter in commendandâ nobilitate ſuâ preſtreperet: cœpit alius (cui faſtidio tandem erat glorioſi illius jactantia) dicere: Abi precor cum tuâ nobilitate. Nam equidem aſinus molitoris noſtri multò te eſt nobilior: is enim ſervo comite ingreditur, tu autem ſine ſervis. Quid adhuc reſpondit? neſcio, nec præſens fui. Propria laus ſordet.

Corollarium Metaphyſicum.

Cornelium eſſe ens, putamus & propterea eſt in loco, nimirum intra capitis territorium, ubi etiam jus dicit & accipit.

Corol-

Corollarium Philologicum.

DUbitatum meminimus, uter ſit naturâ prior, ipſene Cornelius, an verò Corneliofus? Hunc eſſe priorem ſtatuimus, tanquam ſubjectum adjuncto ſuo.

Uxor deplorat maritum tanquam defunctum.

MAritum vino ac ebrietate demerſum alebat uxor, hunc ut ab inveteratâ conſuetudine abduceret, cum domeſticis funebrem inſtituit pompam, ebrio marito tumbâ depoſito, funeralibusque juxta lucentibus, tum luctu planctuque, quantâ potuit ſimulatione fieri, virum deploravit, hic è ſomno evigilans, lethi imagine atque terrore correptus, non ficto ægreſcere, ſed paulò poſt metamorphoſi mirabili

verè

verè mori cœpit, & uxorem gravi onere liberavit. O! ſi viri vinolenti ita plangerentur ab uxoribus, quot lacrymæ in riſum abirent?

Corollarium Geometricum.

POteſtne Cornelio applicari, quod Geometris celebratur bis bina bis eſſe ſolidum? adfirmamus, quia Cornelius eſt quadratus, hoc eſt, ruſticus & impudens, qui etiam non vocatus, & ad invitos venit.

Corollarium Theologicum.

AN Cornelius in aëre degat inter alios malè conciliatos nebulones? reſpondemus negative, ſemper enim cùm hominibus verſatur.

Hoſpitum fraus.

AD fallendum, pecuniamque malis artibus & ſycophantiis

cumulandam, quaſi in fallaciarum & ſtropharum Gymnaſio aliquo docti inveniuntur multi cauponum. Qui inter cæteras fraudes, dum Salvatorem æmulari conantur, ut aquam in vinum convertant, contrà vinum potius in aquam, quæſtus faciendi commutant; ut de menſurâ quoque adulteratâ nihil dicam. Ita ſe gerebat, de quo narrabimus vicanus caupo. Quodam tempore conpotandi causâ ad eum convenerunt homines non inurbani, qui cum Cretenſi cretizare ſcirent. Petunt ab eô ut aquam & vinum, utrumque ſeparatim apponat, ut ſuo quisque arbitratu diluat. Inſurgit ille non ſinè ſtomaco: Cui vinum meum diſplicet, eô licet, abſtineat; Vinum eſt planè juſtum, ac bonum, ac Rhenenſe quidem. Benè tu, replicat unus de ſodalibus: Rhenenſe eſt, quia per Rhenum

num natans, multum ex eô bibit. Hîc excandeſcere caupo & eos pro mendacibus accuſare cæpit. Egreſſo illo dolum compotores ſtruunt: piſciculos duos tresve, ſecum fortaſſe ablatos, aut è patina ſumptos (fundulos vocant) in cantharum immittunt. Redit; vinum indè in vitrum defundit, ut ſolent diverſoribus facere; hoſpites piſciculos innatare cernit, & in hæc verba erumpit: Hercle! nunc quod res eſt, ipſa res manifeſta me confiteri cogit: vinum aquam permiſcui: Undè enim piſciculi in vinum: Ita juxta adagium, cum vulpibus vulpinatus eſt, & arte deluſit.

Merces labori reſpondeat.

ADvocatus Ruſtico pollicebatur quod ita in legibus eum informare vellet, ut nunquam cauſâ ca-

deret ; placebat ruſtico, inque remunerationem Ducatum ſpondebat : Ad hæc Advocatus, regulam cape univerſalem, quam ſi obſervaveris ritè, iniquà te nunquam feriet ſententia. Quæcunque rei tuæ adverſantia, conſtantiſſime nega. Ruſticus datam regulam confeſtim in praxin dirigebat, & fortiter negabat, ſe quicquam pro inſtructione promiſiſſe.

Maritus ſimplex Ficus credens venenatas comedit.

VIrilis animi fœmina maritum imbellem & meticuloſum plagis affecerat, quod unum de pullis gallinaceis, quos abiens ei ſervandos commendaverat, milvus abſtuliſſet. Quamobrem abſente rurſus uxore, ne quem pullum avis

ra-

rapaciſſima poſſet abripere, univerſos eodem filo colligatos diligentius ſervabat. Sed cùm improvisò milvus irruens unum unguibus correptum auferre conaretur, factum, ut omnes ſimul per aërem portaret. Homo infelix, recordatus ob unicum pullum ſe à conjuge malè habitum, longè graviora metuit. Quare mori, quam mulieris ſuæ iram denuò experiri præoptavit. Ficus melle, & aromatibus optimè conditas vaſculo illa indiderat, marito, à cujus gula formidabat, præmonito, ne quid indè lingeret, quia præſens illis venenum lateret. Is mortis cupiens, ficus abligurivit univerſas. Regreſſa domum uxor, cum pullos omnes à milvo oblatos audiviſſet, virum, ut cuſtodem negligentiſſimum fuſtibus coronare decernebat, jamque fuſtem manu tenebat. Cui fatuus,

Ah noli uxor mea, noli me jam moriturum verberare; quandoquidem quantum quantum erat in vaſculo veneni, id comedi, ut tanti delicti pœnam tibi perſolverem. Hîc mulier in riſum effuſa, ſtupido ignovit.

Maximiliani reſponſum.

MAximiliano Imperatori nonnemo aulicorum ſuorum aliquot millia florenorum furtivè ſubtraxerat: diſſimulans diù Cæſar, tandem minùs nihil cogitantem aulicum interrogabat; quânam pœna afficiendus, qui hæc & ſimilia furta commiſiſſet? interrogatus præceps, ſuſpendio dignum aſſeverabat. Cæſar, abſit, inquit, operâ enim tuâ ulterius indigebimus.

Men-

Mendacium.

NUptiis fortè aliquando interfuit Choraules quidam, homo perquam facetus; qui inter cætera & hanc quoque lepidam fabellam, exhilarandis convivis, recitârat: admodum nuper (inquiebat) accidit res mira viſu, ac pœnè incredibilis, ni hiſce egomet oculis uſurpaſſem. Fortè enim in vinea mea foderam, cùm infra me ad radicem vineæ luſitantem adverti lepuſculum. Mox ego novi edulii avidus, quid ſi, cogitabam, & tu aliquando leporinâ veſcereris? hodie inprimis admodum labore defeſſus, atque eſuriens? Dum igitur anxiè circumſpicio, quâ ratione leporem iſtum caperem ac mei juris facerem, in mentem venit globi picei, quem pridie calceolario clam joco ſurreptum in ſacco geſtabam. Mox igitur eum depro-

mo, ac tantò impetu in leporis frontem projicio, ut pix è vehementiâ jacta mox fronti adhæreſcens, atque inſuper etiam dilatata extenſaque binos leporis oculos ſuperliniret. Certus ego (ut quidem putabam) leporem manus meas haud effugiturum, utpote qui cæco impetu quâ data porta rueret, accurro, ligone eum confecturus. Cùm autem ictus aberraſſet, ac lepus cæco curſu per vineam diſcurreret, ecce tibi! alius lepus huic cæco factus obviam tanto impetu caput ſuum hujus fronti illiſit, ut pice velut conglutinati capitibus cohærerent, nec à ſe invicem avelli poſſent: quo viſo, plenus lætitia mox accurro, cohærentes lepores humo ſuſtollo, ac è ligone utrinque vivos pendentes humeris domum porto. Etſi verò die laboribus admodum feſſus eram, nihilominus

minus id oneris tam leve mihi viſum fuit, ac ſi prorſus nihil dorſo ferrem. Hanc feſtivam narrationem ſuam ubi choraules finierat, ingens riſus inter convivas exortus eſt; quorum aliqui clauſulam narrationis utique veraciſſimam ac maximè credibilem eſſe judicabant. Plura mendaciorum jocoſorum paradigmata inveniet curioſus lector alibi.

Scriptum quoddam ridiculum ad collegam.

SCripſiſti nuper ad me mi Collegge altiſſime, quod vellem tibi indicare meam ſententiam, quam habeo pulchro libro, quem citò mox edebis in lumen, prout dicitur, gens in tenebris vidit magnum lumen, & ego libenter tibi reſpondiſſem, ſi potuiſſem, quia in no-

ſtra nundina omnes meæ terræ homines me viſitabant in magno numero, & ego non poteram illis fieri fors, niſi quando nundina erat finita. Sed quia jam habui duos dies bonum otium, eò cogitantius voſui reſpondere. Et ſanè profectò gratulor, quia tam audax fuiſti, uti dicitur, audacia multos in pernicem detruſit, & voluiſti ſimul ſcribere, tam elegans librum, ex quo tot vires docti prorepebunt, quod armati milites ex ventro equi Trojani proripiebant. Nemo enim anteà tàm accuranter ſcivit, undè omnes voces huc venirent, & quid eſt, ad exemplum video, edo, bibo. Et eſt miraculum, quod homines poſſunt vivere, qui iſta non ſciunt: quod video & cum oculo aperto rem aliquam percipio, & credo quod eſt præſens: quia nonnunquam non credimus illud, quod

non

non videmus : Et quod edere, & bibere ſit cibum,& potum per orem accipere, & per opem linguæ, tanquam ſpadii vel ſpadonis ſepelire in ſepulchrum ſtomachi. Antè omnia verò mihi valdè benè placet originantia vocium, quas doces; ex quo videmus, quod lingua noſtra Germanica eſt ſicut dives penu, ex quo omnes aliæ voces tanquam ex ciſta clauſtrariâ & cornu copiorum poſſunt afferri. Num quando nos Germanice dicimus eine Gurke, tunc Latinus dicit, cucumis, quaſi cucumiſt, cucumiſtieri, à Germanico Kuhmiſt, & ſic dicitur cucumis, quia cucumes libenter creſcunt & fiunt magni in Kumiſt. Quando autem dicitur Kukumis, & bis vice ponitur ſyllaba Ku, tunc illud pro more ſanctæ linguæ ſignificat multitudinem, & quod non debeat omitti fimus vaccæ, in illo loco,

ubi cucumes debent creſcere: Nam quando habere volumus apud tempora cucumes, tunc oportet multum fimum vaccæ addere. Profecto ego ſuadeo valdiſſime, ut hunc tuum librum edas, tunc enim apud doctum mundum magnum honorem habebis, & ſemper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt. Vale.

Verba Sindonii de luſu.

LUdus aleatorius (dum adoleſcens eram) exuit me miſerum in quadam cauponulâ primò omnibus nummis meis præſentariis, tum mutuatitiis, deindè villis, agris & poſſeſſiunculis, ut ne harra quidem ſuilla mihi ſupereſſet, aut tantillum loci, ubi catellus cubitare poſſet. Poſtremò verò omnibus tunicis cum amiculo & crepidulis: ut ne in-

intima quidem tunica ſupereſſet, ut te non homunculum denudatum, ſed cuculum hybernum deplumatum ſpectare putaſſes, verum eſt quod commemoro. Imò Diogene illo cynico longe pauperior eram, nam illi reliquum erat dolium verſatile, quod ad faciem ſolis diurni (inſtar ſolſtitialis herbæ obverſabatur, mihi verò præ nimia paupertate, ne cavea quidem viminea, ſub quam gallina cum pullis ſuis ſuccubare poſſet) erat; erat illi tunica interula, palliolum, quod ſupernè circumjecerat, mendicorum ſuppellex baculus & pera panaria, mihi vero, proh dolor! nihil horum erat, non modo videbar Diogene, verum & quovis mendico circumforaneo pauperior.

Epiſtola incompta.

EGo etiam volebam aliquod doctiſſimum ſcriptum addere, ſed multò magnum eſt, ut intret in hunc librum, & etiam valdè timeo, quod homines illi me exrideant, quando aliquid omitto. Nuper enim ſcripſit ad me affinis meus, quod ſint tales homines Philoſophiſtici, qui omnia per pectinem linei trahunt & ad ſcamnum cædunt, quæ aliquis interdum omittit, licet hoc non facit libenter, quia non incidunt uni ſemper omnia, & unus ſe non poteſt ſemper recordare omnia. Et liber meus, quem ego volo edere, magnus eſt, & ſcribitur in eô de omnibus artibus, quomodo puer illas legere debet. Inter his tibi dico gratiam, te volueris in me meminere, & nomen meum clarificare,

ego

ego viciſſim in te meminar, & ſemmer nomen tuum clarifaciam, non aliter quam Sol in medio die clarifacit obſcurum meum locum, in quem eò, quando volo ſolus eſſe. Vale iterum optiſſimè.

Mendax corrigitur.

ITer unà faciebant Dominus ac ſervus. Hic, ut ſibi apud herum locum nomenque faceret, multa admodum jactanter mendaciterque narravit vidiſſe ſe, cum varias terras peragraret. Occurrit equitantibus, transversâ viâ, fugiens vulpes: quâ conſpectâ, magna erat hæc vulpes, ait Dominus. Cui mox ſervus. Hoc nihil eſt dixit: Ego vidi vulpem bovi magnitudine parem. Intellexit facilè Dominus non vulpem, ſed mendacium ſervi poſſe cum bove æquiparari;

Sed

Sed ſe preſſit, & velut admirationis indicio, & plauſu fuit. Quia autem dies paulò priùs cœperat, convertit ſe Dominus ad matutinas preces, & à DEO iter proſperum precabatur, idque ita voce clarâ, ut ſervus omnia ſyllabatim audiret. Inter cæteras formulas adjecit petere ſe, ut eò die præcipuè, ſeſe à verbo mendacii custodiret ; tunc enim ſatis à periculo fluminis iri ſe cuſtoditum. Advertit ea vox, & precandi ratio ſervum ; qui non potuit, quin avidiſſimâ curioſitate interrogaret Dominum, quid ſibi id genus comprecandi voluiſſet? viſum eſt initio tergiverſari herus, & invitus ad eam quæſtionem reſpondere : Sed urgente magisque famulo, tandem ; quaſi ingens arcanum delecturus, cum alto ſuſpirio dixit : Flumen eſt nobis transeundum hodiè, in quo omnes mergun-

guntur, quotquot eò die, mendacium fecerunt. Oppalluit ſervus ad hoc dictum, & mendacii recentiſſimi conſcientiâ ictus viſus eſt tremere. Pergunt ire, atque non diù poſt ad rivum ambo perveniunt, vado tranſeundum. Ibi jam in ripâ equitantem herum ſubſequens ſervus rogat, ut ſubſiſtere pauliſper velit. Ex ſubſiſtente ſciſcitur: Hicne ſit ille fluvius, mentientium interfector? Nolle ſe tentare vadum, cùm, in vulpe comparanda, putet, aliquantulum à ſe erratum eſſe; neque enim eam bovi, ſed juvenco duntaxat parem fuiſſe. De vulpe parùm curo, ait Dominus. Ceterùm non hic eſt rivus, de quo dixeram, alius occurret, nihil tibi, hoc loco, metue. Hæc fatus calcaria admovit equo, & vadum, ſervo tergum premente, ſuperavit. Paulò poſt ventum eſt ad

alium

ſtra nundina omnes meæ terræ homines me viſitabant in magno numero, & ego non poteram illis fieri ſors, niſi quando nundina erat finita. Sed quia jam habui duos dies bonum otium, eò cogitantius volui reſpondere. Et ſanè profectò gratulor, quia tam audax fuiſti, uti dicitur, audacia multos in pernicem detruſit, & voluiſti ſimul ſcribere, tam elegans librum, ex quo tot vires docti prorepebunt, quod armati milites ex ventro equi Trojani proripiebant. Nemo enim anteà tàm accuranter ſcivit, undè omnes voces huc venirent, & quid eſt, ad exemplum video, edo, bibo. Et eſt miraculum, quod homines poſſunt vivere, qui iſta non ſciunt: quod video & cum oculo aperto rem aliquam percipio, & credo quod eſt præſens: quia nonnunquam non credimus illud, quod

non

non videmus : Et quod edere, & bibere ſit cibum,& potum per orem accipere, & per opem linguæ, tanquam ſpadii vel ſpadonis ſepelire in ſepulchrum ſtomachi. Antè omnia verò mihi valdè benè placet originantia vocium, quas doces, ex quo videmus, quod lingua noſtra Germanica eſt ſicut dives penu, ex quo omnes aliæ voces tanquam ex ciſta clauſtrariâ & cornu copiorum poſſunt afferri. Num quando nos Germanice dicimus eine Gurke, tunc Latinus dicit, cucumis, quaſi cucumiſt, cucumiſtieri, à Germanico Kuhmiſt, & ſic dicitur cucumis, quia cucumes libenter creſcunt & fiunt magni in Kumiſt. Quando autem dicitur Kukumis, & bis vice ponitur ſyllaba Ku, tunc illud pro more ſanctæ linguæ ſignificat multitudinem, & quod non debeat omitti fimus vaccæ, in illo loco,

ubi cucumes debent creſcere: Nam quando habere volumus apud tempora cucumes, tunc oportet multum fimum vaccæ addere. Profecto ego ſuadeo valdiſſime, ut hunc tuum librum edas, tunc enim apud doctum mundum magnum honorem habebis, & ſemper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt. Vale.

Verba Sindonii de luſu.

Ludus aleatorius (dum adoleſcens eram) exuit me miſerum in quadam cauponulâ primò omnibus nummis meis præſentariis, tum mutuatitiis, deindè villis, agris & poſſeſſiunculis, ut ne harra quidem ſuilla mihi ſupereſſet, aut tantillum loci, ubi catellus cubitare poſſet. Poſtremò verò omnibus tunicis cum amiculo & crepidulis: ut ne

intima quidem tunica ſupereſſet, ut te non homunculum denudatum, ſed cuculum hybernum deplumatum ſpectare putaſſes, verum eſt quod commemoro. Imò Diogene illo cynico longe pauperior eram, nam illi reliquum erat dolium verſatile, quod ad faciem ſolis diurni (inſtar ſolſtitialis herbæ obverſabatur, mihi verò præ nimia paupertate, ne cavea quidem viminea, ſub quam gallina cum pullis ſuis ſuccubare poſſet) erat; erat illi tunica interula, palliolum, quod ſupernè circumjecerat, mendicorum ſuppellex baculus & pera panaria, mihi vero, proh dolor! nihil horum erat, non modo videbar Diogene, verum & quovis mendico circumforaneo pauperior.

Epiſtola incompta.

EGo etiam volebam aliquod doctiſſimum ſcriptum addere, ſed multò magnum eſt, ut intret in hunc librum, & etiam valdè timeo, quod homines illi me exrideant, quando aliquid omitto. Nuper enim ſcripſit ad me affinis meus, quod ſint tales homines Philoſophiſtici, qui omnia per pectinem linei trahunt & ad ſcamnum cædunt, quæ aliquis interdum omittit, licet hoc non facit libenter, quia non incidunt uni ſemper omnia, & unus ſe non poteſt ſemper recordare omnia. Et liber meus, quem ego volo edere, magnus eſt, & ſcribitur in eô de omnibus artibus, quomodo puer illas legere debet. Inter his tibi dico gratiam, te volueris in me meminere, & nomen meum clarificare,

ego

ego viciſſim in te meminar, & ſemmer nomen tuum clarifaciam, non aliter quam Sol in medio die clarifacit obſcurum meum locum, in quem eò, quando volo ſolus eſſe. Vale iterum optiſſimè.

Mendax corrigitur.

ITer unà faciebant Dominus ac ſervus. Hic, ut ſibi apud herum locum nomenque faceret, multa admodum jactanter mendaciterque narravit vidiſſe ſe, cum varias terras peragraret. Occurrit equitantibus, transversâ viâ, fugiens vulpes: quâ conſpectâ, magna erat hæc vulpes, ait Dominus. Cui mox ſervus. Hoc nihil eſt dixit: Ego vidi vulpem bovi magnitudine parem. Intellexit facilè Dominus non vulpem, ſed mendacium ſervi poſſe cum bove æquiparari;

Sed

Sed ſe preſſit, & velut admirationis indicio, & plauſu fuit. Quia autem dies pauló priùs cœperat, convertit ſe Dominus ad matutinas preces, & à DEO iter proſperum precabatur, idque ita voce clarâ, ut ſervus omnia ſyllabatim audiret. Inter cæteras formulas adjecit petere ſe, ut eò die præcipuè, ſeſe à verbo mendacii cuſtodiret; tunc enim ſatis à periculo fluminis iri ſe cuſtoditum. Advertit ea vox, & precandi ratio ſervum; qui non potuit, quin avidiſſimâ curioſitate interrogaret Dominum, quid ſibi id genus comprecandi voluiſſet? viſum eſt initio tergiverſari herus, & invitus ad eam quæſtionem reſpondere: Sed urgente magisque famulo, tandem; quaſi ingens arcanum delecturus, cum alto ſuſpirio dixit: Flumen eſt nobis transeundum hodiè, in quo omnes mergun-

guntur, quotquot eò die, mendacium fecerunt. Oppalluit ſervus ad hoc dictum, & mendacii recentiſſimi conſcientiâ ictus viſus eſt tremere. Pergunt ire, atque non diù poſt ad rivum ambo perveniunt, vado transeundum. Ibi jam in ripâ equitantem herum ſubſequens ſervus rogat, ut ſubſiſtere pauliſper velit. Ex ſubſiſtente ſciſcitur: Hicne ſit ille fluvius, mentientium interfector? Nolle ſe tentare vadum, cùm, in vulpe comparanda, putet, aliquantulum à ſe erratum eſſe; neque enim eam bovi, ſed juvenco duntaxat parem fuiſſe. De vulpe parùm curo, ait Dominus. Ceterùm non hic eſt rivus, de quo dixeram, alius occurret, nihil tibi, hoc loco, metue. Hæc fatus calcaria admovit equo, & vadum, ſervo tergum premente, ſuperavit. Paulò poſt ventum eſt ad alium

ſe conflati, confici [illegible] Nam vulpem à ſe ali[illegible] ſpectam reliquis commu[illegible] [illegible]pibus fuiſſe magnitudine omni[illegible] parem. H[illegible] audito, & hæc quo[illegible] aqua, inquit Dominus, eſt alii[illegible] communibus aquis par, neque [illegible] mendaces mergere. Ita menda[illegible] [illegible]n, aquarum minitatione, curavit & ad veritatem promendam reduxit.

Contra vinum Bohemicum conqueritur Italus in Bohemiâ.

Cuidam Italo Bohemicum vinum fuit appoſitum, hic incipit: O lacrymæ Chriſti (eſt optima ſpecies vini in Italia.) O lacrymæ Chriſti, cujus unum vitrum pintam exæquat. Reſpondet Bohemus: Stulte! Si Chriſtus in Bohemia fleviſſet, pretioſiores lachrymas tibi apponerem,

hinc

hinc contenteris lachrymis Magdalenæ:

Vina bibant homines, animantia
cætera fontes.
Abſit ab humano pectore potus
aquæ.

Correctio ob annulum?

REx Arragoniæ Alphonſus aliquando accubiturus, prius, uti mos eſt, àquam manibus accipere voluit. Annulos ſuos pretioſos, ne madefierent, digitis abſtrahit; ſervandos ex circumſtantibus proximo, ut ſolebat, daturus. Tùm fortè inter colloquendum uni procerum ſuorum tradidit. Qui ratus regem nihil penſi habuiſſe, cui cuſtodiendos commiſiſſet: aut fortaſſis etiam ob multas, & graves curas, qualibus magni Principes ſem-

ſemper exercentur, facilè oblitum, cui eos commiſerit: quandoquidem abſterſis manibus non repoſcerit,(in quâ opinione illum confirmavit, ſecurumque reddidit,quòd jam aliquot dies, immò hebdomades, immò menſes effluxerant: nec intereà vel ipſe Rex, vel quiſpiam alius mentionem ullam horum annulorum fecerat) de credito reſtituendo nihil laboravit. Ad finem annus procedebat, & Rege iterum diſcubituro, annuloſque depoſituro, ac manus abluturo; propiùs acceſſit is, qui pridem, eoſdem ab illo ſuſcepturus. Obſervavit Rex minimè ſincerum viri obſequium, & ei hæc verba inſuſurravit. *Contentus eſto annulis prioribus; nimium concupiſcis: iſti valebunt pro aliis.*

Gal-

Gallina, aurea pariens ova.

MAximiliano Imperatori, poſt ejus coronationem, Judæi corbem ex mundiſſimo auro confectam, ovisque aureis refertam munus obtulerunt. Imperator omnes forti cuſtodiæ tradidit: interrogantibus cauſam ſubjunxit: Gallinas ova aurea parientes non facilè dimittendas.

Oſculum indecens.

NUncius ad Regiam miſſus in mandato habebat, ut priusquam litteras traderet, poplite flexo oſcularetur eas; ille id ſibi parum ſaporis creaturum ratus, Reginæ minùs nihil cogitanti fixit oſculum, dein litteras tradit.

Epi-

Epiſtola cujusdam Pennalis.

SAlutem innumerabilem. Venerabilis Domine Magiſter, ſi haberem pecunias & ſubſtantiam magnam, tunc vellem dare vobis unam notabilem propinam, credatis mihi firmiter: quòd ſolvatis mihi iſtam quæſtionem, quam propono. Sed quia pro nunc non habeo boves & oves, univerſa inſuper & pecora campi, ſed ſum pauper, propterea non poſſum vobis appreciare pro veſtra doctrina, ſed promitto vobis, quòd poſtquam ſum beneficiatus, ſicut jam inſteti pro una Vicaria, tunc volo ſemel unum honorem ſpecialem facere vobis. Et ſcribatis mihi, an eſt neceſſarium ad æternam ſalutem quòd ſcholares diſcunt Grammaticam ex Poëtis ſecularibus, ſicut eſt Virgilius, Tullius,

lius, Plinius, & alii? Videtur mihi quod non eſt bonus modus ſtudendi; Quia, ut ſcribit Ariſtoteles primo Metaphiſicæ; Multa mentiuntur Poëtæ, ſed qui mentiuntur, peccant, & qui fundant ſtudium ſuum ſuper mendaciis, fundant illud ſuper peccatis, non eſt bonum, ſed eſt contra Deum: quia Deus eſt inimicus peccatis. Sed in Poëtria ſunt mendacia, & ergo qui incipiunt ſuam doctrinam in poëtria, non poſſunt proficere in bonitate: quia mala radix habet ſuper ſe malam herbam, & mala arbor profert malum fructum, ſecundum Evangelium, ubi dicit Salvator: Non eſt arbor bona quæ facit fructum malum.

Militis dictum.

IN Regis Alphonſi exercitu quidam Roſtrus nomine militans, rubrum pileum in modum gallinaceæ criſtæ efformatum geſtabat. Huic excubias agenti aliquando Rex, illudere volens ajebat: Quando tu galle tandem hoc manè cantabis? Tum Roſtrus, malè inquit, manè cantat, qui veſperi cœnatus non eſt. Cujus dicti feſtivitate delectatus Rex; bono Roſtro veſtem dedit novam & verſicolorem, ut non nomine tantum ſed habitu quoque gallum repræſentaret.

Pennalis Epiſtola.

POſtquam radiis oculorum meorum epiſtolas tuas perlegi, valdê me gaviſus ſum, quia vidi, quod noſter amicus bonus velit de novo

in lucem dare literas illorum clarorum, vel ut rectius dicam, minimè non doctorum virorum. Tantus enim in illis theſaurus eruditionis & humanæ ſapientiæ latet, quod quando quis vellet illam capere & exhaurire vaſe intellectus ſui, omninò planè ſimilis eſſet illius, qui totũm mare Adriaticum, quod poſt mediam noctem jacet, volebat omninò parvo cochleare exhaurire. Et ego ſummopere totis viribus meis & ex toto ſerio æſtimo, ut hunc librum dignus ſit, quod omnes illum cũ ambabus manibus habeant, & ſemper ſuper illum cubant. Meus Præceptor aliàs ſolebat dicere, quòd non immeritò ſit; quod hic liber ſuſpendatur in patibulo januæ in ſchola, ut omnes ſcholariſtici vident, quando exient, vel intrent in illam, & diſcunt taliter ſcribere & taliter loquere: Et meus Præceptor ita ſem-

ſemper loquebat & dicebat, quod melius eſt, his viris, qui non fuerunt ſtulti, licet voluerunt magis in umbrâ manere, quàm à ſole clarificari, ſequi, quam Ciceronium aut Virgilium. Verba enim ſua non ſunt tam gravia quam Cicero & Virgilius, & tamen etiam meliùs clangunt. Ergo non potui intermitti, at ipſo bono noſtro amico gratulationem faciam, quam jam imitatur:

Amice bone, qui non es nebulone,
Facis pergratum, quod puerorum natum,
Jam habes curam & ad horum uſuram,
Nunc doctorum in lucem das virorum.
Venuſta ſcripta, quæ docent ex Baralipta.
Ut eſt ſcribendum jam ad laudem merendum.

 Heu

Heu quantus grates illorum, tibi nates,
Semper debebunt, quando chartas implebunt,
Succo atrato aut rubro condenſato,
Te magnum vitium convincet per Perlirum,
Quis dubitabit! juventus te amabit.
Et venerentur, quicunque te ſequentur,
Nam non eſt grave, ſed admodum perſuave,
Tuum latinum quod loquitur hoc vinum,
Et non invito intelligitur cito.
Tu es Atlantem baſimina fundantem,
Linguæ Latinæ & ſcis loquendum finè.
Tu portas fundum Doctorum in hunc mundum,
Et quod cecidit & peſſimus elidit,

Tu

Tu iterum fers & non es Doctor iners,
Te ergo laudo & manibus applaudo,
Et ſemper grator, ut ſis bonus amator,
Horum librorum, qui non ſunt Dominorum,
Qui ſe perſuadent, ſcientia quod madent,
Sed quia pellis inſerviunt tenellis,
Et qui detergent, quæ ſordida inhærent;
Sic tuum nomen ſortitur bonum omen,
Et eris clarus, obſcurus & perrarus,
Et lux per totum hic finit meum votum.

Fur perfectus.

NEapoli homo trium litterarum die quodam, dum nullum feciſſet operæ pretium, & puderet eum tanquam fucum ad ſociorum præſepe inanem reverti, ædes primarii cujusdam civis magnâ confidentiâ, non aliter ac ſi ſuæ eſſent, ingreſſus eſt. Audierat enim fortè vulgatum proverbium! Timidum Chirurgum nunquam bonum eſſe, idque ipſum in Hiſpaniâ pecoribus cautè ac tardè incedentibus acclamare ſolent: Ambula confidenter, ad inſtar ejus, qui furatum it. Verſis in omnes angulos oculis femineam videt veſtem holoſerticam menſæ impoſitam. Ubi tuta omnia animadvertit, ſublevat veſtem, & ſub ſiniſtro condit brachio. Ecce verò in ipſo domûs limine patrem familias illi obvium: à quo rogatus:

tus : quid ibi haberet negocii & quid portaret ? veſtem monſtrat, ait : ſartorem ſe eſſe, & à matronâ acerſitum ad reconcinandam veſtem ſibi datam eſſe : Ille, bene, inquit ; tu vide ut propediem illam tuâ manu, ut juſſit illa, reconcinnatam referas. Dum ædium Dominus jam limen ſcanderet, fur dicto citius ſe proripuit, & plures gyros quàm hirundo, per plateas maximè averſas, faciens, in noto ſtabulo prædam deponit. Paulò poſt cùm tota familia tumultuaretur, quæ nimis ſerò veſtem ablatam ſenſerat, tum accurrit & paterfamilias ; qui animadverſo errore ſuo, riſui ferè quàm indignationi propior, miniſtros undequaque per plateas circummiſit, qui furem perquirerent, ſed ille jam evanuerat.

Mulieris argutia.

VIrum quendam gravem mulier laſcivo paulum obtutu aſpexerat: undè ille indignatus. Quin non tu, inquit, terram potius intueris? At illa; Hoc magis, ait, te facere par eſt, utpote, dum ex eâ viri efformati ſint, at quis nobis viros aſpicere prohibeat, è quorum coſtis factæ ſumus?

Mulier illudens marito.

MUlier quædam, ut Pogius narrat, admodum viro contraria, ſemper verbis ejus objurgando refragabatur, perſtans in eo, quod cœperat, ita ut ſuperior eſſe vellet. Habita ſemel cum viro gravi altercatione, maritum pediculoſum vocavit. Ille, ut verbum id retractaret, uxorem verberibus contundebat, pugnis cædens ac calcibus. Quò

ma-

magis cædebatur, eò plus illa pediculoſum appellabat. Vir tandem verberando laſſus, ut uxoris pertinaciam ſuperaret, per funem in aquæ puteum demiſit, ſuffocaturum ſe dicens, niſi verbis ejusmodi abſtineret. Inſtantius verò illa perſeverabat etiam in aquâ mentum usque conſtituta, verbum illud continuans. Tum vir, ne amplius loqui poſſet, in puteum demerſit, tentans, ſi eam mortis periculo à verborum pertinaciâ poſſet avertere. At illa loquendi facultate ademptâ, etiam dum ſuffocaretur, quod loqui nequibat, digitis exprimebat. Nam manibus ſuper caput erectis, atque ungulis utriusque pollicis conjunctis (unguibus enim eorum digitorum pediculi à fœminis occidi conſueverunt) ſaltem, quod potuit, geſta, viro pediculos objiciebat.

Quam verò irritabiles ſint fœminæ, Poëta hoc diſticho expreſſit

Non ſic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto:
Quam citò fœminea non conſtat fœdus in irâ,
Sive ea cauſa gravis, ſive ea cauſa levis.

Et alius cecinit:

Quot mare dat Lybicum fluctus, quot littus arenas,
Tot movet in læſo fœmina corde dolos.

Ejuſdem repetitus dolus.

IDem Mercurii alumnus in aliis ædibus ſimili omninò modo deprehenſus, occurrenti quoque paulò

lò extra limen ædium Domino, & quid egiſſet ? quid ferret ? roganti, reſpondit : portare ſe neſcio quid ſuarum veſtium, quas argentariâ circumventus inopiâ apud daniſtam vellet deponere. Ille indignabundus: Ergo tu, inquit, homo inſulſiſſime! ædes meas à daniſta habitari putaſti ? Apage te! nequam, cum tuis centonibus. Quod quidem furunculus ſedulò fecit, non ſuis, ſed alterius centonibus onuſtus.

Judicos ſchmiralia amant.

MErcator quidam Judici vas oleo plenum donat, demerendæ gratiæ causâ, quòd cùm adverſarius ejus reſciviſſet : eandem ob cauſam porcum benè pinguem Judici offert, atque hoc munere litem vincit, conquerenti eâ ſuper-

tum merum quidem, ſed ptiſanum bibere, jocatus eſt. Usque adeò verum eſt, quod Lotichius cecinit:

Difficile eſt tacitos naturæ abſcondere motus,
Ponere difficile eſt, quæ placuere diu.

Interrogatio.

Quidam ab altero de miſericordiâ perorante rogatus, videaturne ſatis ad miſericordiam moviſſe? reſpondit: Omnino ſatis, neminem enim eſſe puto, dicebat, cui oratio tua non ſit viſa miſerabilis, ac omni miſericordiâ & compaſſione digna.

Maritus quærit uxorem adverſus flumen.

MAritus uxorem ſuam, flumine præterfluente aſcendendo, anxiè quærebat, objurgatus idcircò ab obvio, quod non ſecundo flumine deſcenderet, reſpondit: ſi mors meæ uxoris ipſius vitæ reſpondeat, de quo vix dubito, probabile eſt, eam adverſus flumen niti, quæ in vitâ moribus meis ſemper contraria fuit.

Meretrix quid ſit & unde?

MEretrix rectè à quibusdam dicitur Ephippium Reipublicæ: ejus avus fuit eques Ruſticus, & ne ipſa degeneret à ſtirpe ſuâ, vocatur eques aurei velleris, ſive mavis, equus. Meretrix unam manum ori admovet alteram crumenæ, niſi quan-

quando aſſidet menſæ : meretricis oculus unus in patinis eſt, alter in quadrâ vicini ſui, uno oculo ridet, altero flet, aurem unam aperit culinæ odori, alteram claudit precibus amicorum, curæ cordique illi eſt ſodalium ſanitas, nam eos non ſinit ſtertere nec die nec nocte, & præſertim tempore promeridiano: quod eſt admodum inſalubre : habet aures patulas ſimiles auribus (ſalva reverentia) aſinorum, os illi eſt inſtar fornacis, quamvis ad tantam capacitatem non accedat. Uno verbo meretricum virtutes tot ſunt, quot ſunt muſcæ in autumno, pediculi in pallio mendici, farcimina Pariſiis, & ne videar eis adulari, eſt tanquam equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus.

Hel-

Helluonis aſtutia.

Cum hiſtrioni cuidam, cum nobilibus diſcumbenti, minutiores piſces appoſiti eſſent, illis autem grandiores, cœpit hiſtrio piſciculos multos contrectare, atque nunc ad os, nunc ad aurem admovere, quædam ſecretè loquens, cœpit & tandem flere. Et cùm nobiles, cur id faceret, interrogarent, dixit: Pater meus Piſcator olim in aquâ ſubmerſus eſt, & cùm quæro piſciculos, an non viderint genitorem meum? Reſpondent ſe eſſe juniores, ut hanc rem ſciant, proindè interrogandos eſſe grandiores natu. Hoc cùm intelligerent nobiles, dederunt ei grandiores piſces etiam inquirendos, vel potiùs devorandos.

An

An non omnis mutatio bona?

MUtatio bona eſt, quæ vergit in meum commodum. Si mea burſa inanis eſſet, veſtra plena piſtolettis, ſi ego eſſem aſinus, vos docti, per me fiat mutatio ſtante pede, & ero planè novus homo, Item ſi tu haberes fœminam pulchro vultu, ego verò Hebucam aut aliquod remedium amoris, vellesne mutare?

Vinum triplex.

NObilis feſtivi ingenii homo triplicis ſortis vinum habebat, quod pro convivarum & hoſpitum qualitate apponi curabat. Ne verò ulli pateſceret, ita cum famulo contraxerat, ut ſi eis diceret: valesne utcunque? vilius vinum afferret. dicente verò: quid gloriaris? medio-

diocrè. Si: Noli me tangere, fortiſſimum vinum promeret. Accidit, ut Dominus ille ſæpè Poëtam convivam haberet, cui mediocrè vinum apponebatur. Poëta ex iteratâ ſæpius hâc dictione: Quid gloriaris? Dolum advertens, hos menſæ accumbens, verſus poſuit:

Ne convertâris, ſi fers mihi: quid gloriaris?
Si fers utcunque, tollat Cacadæmon utrumque,
Ibis ad aſtra poli, ſi fers me tangere noli.

In Germania cur tanta copia mendicorum inveniatur?

QUia mendicus mendicum procreat. Non enim parentibus curæ eſt, ut liberi eorum honeſta aliquâ arte ſeſe ſuſtentent, ſed in eo toti ſunt, ut eorum veſtigia ſequantur, oſtiatimque mendicent.

Excu-

Excuſatio pigri Adoleſcentis.

NObilis adoleſcens urbanioris ingenii admodum ſerò è lecto ſurgere conſueverat. Eam tarditatem ſociis culpantibus reſpondit; ſe duas mulieres quotidiè ad ſe venientes, & coram ſe litigantes auſcultare. Sollicitudinem & Pigritiam. Illam hortari ad ſurgendum, & ad res agendas, tempusque benè ponendum : hanc increpare illam, atque ad diutius quieſcendum & in tecto propter frigus manendum incitare ac dicere : non ſemper vacandum laboribus. Contra Sollicitudinem adverſariam confutare, & cauſam ſuam argumentis roborare. Cum itaque diutiùs contendere inter ſe, & diſputare ſoleant, ſe ut judicem utramque partem audire, & dum ipſis conveniat, in lecto cuban-

bantem morari. Eò fieri, ut ſeriùs ſurgat, quia finem litis expectet.

Verſus Leontinus de amore:

Poſt viſum riſum, poſt riſum, venit in uſum,
Poſt uſum, tactum, poſt tactum, venit in actum,
Poſt actum, factum, poſt factum, pœnitet actum.

Concordia inter animalia ſibi aliàs contraria.

IN Helvetia eſt locus, Lucerna quatuor milliaribus diſtans, ubi Parochus habitabat, qui ſtupendo naturæ prodigio hoſpites ſuos inter prandendum oblectare ſolebat: Pultem transfundebat in patinam, & certo ſtatuebat loco; mox ſigno dato proſiliebat ex antro hinc muſculus,

culus, indè prodibat è caveâ avicula; aliunde cum cane adventabat felis, ita quidem ut nec feli canis, nec mus aut felis avi quidquam hoſtile faceret; ſumma erat inter omnes concordia, nulla invidia; Abſumpto prandio ad ſuum quodque Animal redivit cubile, ita ut avis ipſa ſibi oſtium caveæ aperiret, & clauderet; & mus, quotiescunque nominatim ab hero ſuo evocaretur, de caveâ ſua procurrebat, nec cane oblatrante, nec fele inſidiando.

Corollarium Rethoricum.

Dictum eſt, ſuſpendendum, poſſe Corneliosum eſſe, quæritur, pro tropo hoc dicatur; Reſpondemus per tapinoſin, ſeu meioſin, eſt enim non mediocris extenuatio.

Corol-

Corollarium Muſicum.

CORnelius licet per omnes declinabiles caſus poſſit cani, ſuaviſſimum tamen in ablativo ſtatuimus, ibi namque vim ſuam exerit Lydius, teſte Caſſiodoro 2. Variar. 40.

Lachrymæ Muſicum fallaces.

NOn pridem quidam Caupo erat Viennæ, qui cùm ad medium annum valetudinarius, vitam tandem cum morte commutaſſet, uxor ejus funus proſecuta, miſerabiles edebat ejulatus, obſtinateque lachrymabatur, adeò, ut ducere eam cogeretur ſervus ſuus, qui pro virili parte conſolabatur. Cùm verò ipſa quereretur, ſe neminem habere, cum quo cauponam adminiſtraret (ut moris eſt mulieribus) famu-

famulus ſua in homines merita, qualiter quoque notus eſſet declarando, appellavit eam de conjugio. Illa inter ejulandum dixit: Ah! nimis serò petiiſti, paulò antè alteri promiſi.

Corollarium Arithmeticum.

AN cadat numerus in Cornelium? negamus, continetur enim monade: at monas non eſt numerus, ſed numerorum origo, teſte Macrob. ſomn. Lib. 2.

Corollarium Aſtronomicum.

CUi ſigno conveniat Cornelius, in Zodiaco reſpondemus, Capricorno per omnia.

Quis melius habiturus ſit ſomnium?

FAciebant iter unà tres communiter, & cùm per loca inculta & de-

deſerta aliquot dies pergendum eſſet, cibos mercati ſecum tulere. Hi in viâ, quæ opinione illorum longior fuerat defecêre. Itaque duo contra tertium, ſimpliciorem, ut credebant, ineunt conſilium, quo ſua illum portione fraudent: & cibus, inquiunt, qui adhuc ſupereſt, non ſatis eſt futurus univerſis? placet igitur nobis, eum potiri hoc ſolùm, qui maximè admirabile ſomnium viderit, ſi tibi idem videtur. Probatâ re univerſis, ad ſomnum capiendum componunt corpora ſua. Cùm dormirent duo illi aſtuti, ſurgit tertius, & quicquid cibi reperit, id eſuriens abſumit totum. Senſerat enim eos dolum machinari. Cùm autem eſſet medium fermè noctis, experrecti illi, narrarunt inter ſe ſomnia ſua. Atque unus: Quam mirum inquit, ſomnum vidi? Quodnam, alter, obſecro ediſ-

 ſere,

ſere, inquit. Viſus mihi ſum videre, inquit, arripi magnâ quadam vi veluti procellâ, & antè Jovis ſolium ſiſti. Cui alter: Non minùs admirabile referam, contrarium quidem tuo, ſomnium. Nàm ego vidi me ſimiliter impetu quodam venti & turbinis deferri ad hiatum ingentem terræ, & in ditis regiâ conſtitui. Quin igitur inquiunt, referamus ſocio hæc, quæ oblata nobis per quietem fuere? Itaque excitare illum, qui fingeret ſe profundiſſimo in ſomno jacere, & verbis inclamare cæperunt. Qui cùm audiſſet illas fabulas: Quis me vocat? inquit. Cui illi: Nos, ſcilicet ſocii, inquiunt, tui. Quomodo, inquit, obſecro, reverſi? Quomodo, inquiunt hi, qui nusquam diſceſſerimus: At ego, inquit iſte, mihi viſus ſum videre unum veſtrûm raptari in cœlum, alterum ad inferos deferri.

ri: Nunquam igitur redituros vos ratus, cibum comedi totum. Appoſitè Lucretius: Mulier quædam, dùm ſolita maledictione rediret, vir ad ſolitum cantum reverſus eſt. Quare mulier ſe victam oſtendens, imprecationibus abſtinuit, benevolentiſſimamque ſe futuram viro pollicita eſt, modo tibiam utricularem poneret. Memorabile exemplum, pertinaciam muliebrem variis artibus frangendam eſſe.

Pertinacia Fœminæ.

MUlier quædam à noſtris, admodum viro contraria, ſemper verbis ejus objurgando refragabatur, perſtans in eo, quod cœperat, ita ut ſuperior eſſe vellet. Habitâ ſemel cum viro gravi altercatione, maritum pediculoſum vocavit. Ille, ut verbis id retracta-

ret, uxorem verberibus contundebat, pugnis cædens ac calcibus. Quo magis cædebatur, eò plus illa pediculoſum vocabat. Vir tandem verberando laſſus; ut uxoris pertinaciam ſuperaret, per funem in aquæ puteum demiſit, ſuffocaturum ſe eam dicens, niſi verbis ejusmodi abſtineret, illa inſtantiùs perſeverabat etiam in aquâ mentum usque conſtituta, verbum illud continuans. Tum vir eam ne amplius loqui poſſet, in puteum demerſit, tentans, ſi eam mortis periculo à verberum pertinaciâ poſſet avertere. At illa loquendi facultate ademptâ, etiam, dum ſuffocaretur, quod loqui nequibat, digitis exprimebat, Nam manibus ſuper caput erectis, atque unguibus utriusque pollicis conjunctis, ſaltem quod potuit geſtu, viro pediculos objiciebat, unguibus enim eorum di-

digitorum pediculi à fœminis occidi conſueverunt.

Fluiditas cujusdam Poëtæ.

POëtices Leo X. Pontifex & ipſe Studioſus & liberalis fuit Mæcenas. Erat tum Romæ inter cæteros quidam Andreas Maro, qui ob expromptam condendi carminis vel potiùs verſificandi facilitatem, quum ſtans pede in uno flueret lutulentus & multos ex tempore verſus recitaret; Archipoëtæ nomen conſequutus fuerat. Is quum ad Pontificem veniſſet, ab eo invitatus, ſequentem verſum gloriabundus, nihil arroſis unguibus effudit:

Archipoëta facit verſus pro mille poëtis.

Ibi Pontifex non minus facili venâ ſequens Pentametrum ſubjunxit:

Et pro mille aliis Archipoëta bibit.

culus, indè prodibat è caveâ avicula; aliunde cum cane adventabat felis, ita quidem ut nec feli canis, nec mus aut felis avi quidquam hoſtile faceret; ſumma erat inter omnes concordia, nulla invidia; Abſumpto prandio ad ſuum quodque Animal redivit cubile, ita ut avis ipſa ſibi oſtium caveæ aperiret, & clauderet; & mus, quotiescunque nominatim ab hero ſuo evocaretur, de caveâ ſua procurrebat, nec cane oblatrante, nec fele inſidiando.

Corollarium Rethoricum.

Dictum eſt, ſuſpendendum, poſſe Corneliosum eſſe, quæritur, pro tropo hoc dicatur; Reſpondemus per tapinoſin, ſeu meioſin, eſt enim non mediocris extenuatio.

Corol-

Corollarium Muſicum.

CORnelius licet per omnes declinabiles caſus poſſit cani, ſuaviſſimum tamen in ablativo ſtatuimus, ibi namque vim ſuam exerit Lydius, teſte Caſſiodoro 2. Variar. 40.

Lachrymæ Muſicum fallaces.

NOn pridem quidam Caupo erat Viennæ, qui cùm ad medium annum valetudinarius, vitam tandem cum morte commutaſſet, uxor ejus funus proſecuta, miſerabiles edebat ejulatus, obſtinateque lachrymabatur, adeò, ut ducere eam cogeretur ſervus ſuus, qui pro virili parte conſolabatur. Cùm verò ipſa quereretur, ſe neminem habere, cum quo cauponam adminiſtraret (ut moris eſt mulieribus) famu-

famulus ſua in homines merita, qualiter quoque notus eſſet declarando, appellavit eam de conjugio. Illa inter ejulandum dixit: Ah! nimis ſerò petiiſti, paulò antè alteri promiſi.

Corollarium Arithmeticum.

AN cadat numerus in Cornelium? negamus, continetur enim monade: at monas non eſt numerus, ſed numerorum origo, teſte Macrob. ſomn. Lib. 2.

Corollarium Aſtronomicum.

CUi ſigno conveniat Cornelius, in Zodiaco reſpondemus, Capricorno per omnia.

Quis melius habiturus ſit ſomnium?

FAciebant iter unà tres communiter, & cùm per loca inculta & de-

deſerta aliquot dies pergendum eſſet, cibos mercati ſecum tulere. Hi in viâ, quæ opinione illorum longior fuerat defecêre. Itaque duo contra tertium, ſimpliciorem, ut credebant, ineunt conſilium, quo ſua illum portione fraudent: & cibus, inquiunt, qui adhuc ſupereſt, non ſatis eſt futurus univerſis? placet igitur nobis, eum potiri hoc ſolùm, qui maximè admirabile ſomnium viderit, ſi tibi idem videtur. Probatâ re univerſis, ad ſomnum capiendum componunt corpora ſua. Cùm dormirent duo illi aſtuti, ſurgit tertius, & quicquid cibi reperit, id eſuriens abſumit totum. Senſerat enim eos dolum machinari. Cùm autem eſſet medium fermè noctis, experrecti illi, narrarunt inter ſe ſomnia ſua. Atque unus: Quam mirum inquit, ſomnum vidi? Quodnam, alter, obſecro ediſ-

ſere, inquit. Viſus mihi ſum videre, inquit, arripi magnâ quadam vi veluti procellâ, & antè Jovis ſolium ſiſti. Cui alter: Non minùs admirabile referam, contrarium quidem tuo, ſomnium. Nám ego vidi me ſimiliter impetu quodam venti & turbinis deferri ad hiatum ingentem terræ, & in ditis regiâ conſtitui. Quin igitur inquiunt, referamus ſocio hæc, quæ oblata nobis per quietem fuere? Itaque excitare illum, qui fingeret ſe profundiſſimo in ſomno jacere, & verbis inclamare cæperunt. Qui cùm audiſſet illas fabulas: Quis me vocat? inquit. Cui illi: Nos, ſcilicet ſocii, inquiunt, tui. Quomodo, inquit, obſecro, reverſi? Quomodo, inquiunt hi, qui nusquam diſceſſerimus: At ego, inquit iſte, mihi viſus ſum videre unum veſtrûm raptari in cœlum, alterum ad inferos deferri.

ri: Nunquam igitur redituros vos ratus, cibum comedi totum. Appoſitè Lucretius: Mulier quædam, dùm ſolita maledictione rediret, vir ad ſolitum cantum reverſus eſt. Quare mulier ſe victam oſtendens, imprecationibus abſtinuit, benevolentiſſimamque ſe futuram viro pollicita eſt, modo tibiam utricularem poneret. Memorabile exemplum, pertinaciam muliebrem variis artibus frangendam eſſe.

Pertinacia Fœminæ.

MUlier quædam à noſtris, admodum viro contraria, ſemper verbis ejus objurgando refragabatur, perſtans in eo; quod cœperat, ita ut ſuperior eſſe vellet. Habitâ ſemel cum viro gravi altercatione, maritum pediculoſum vocavit. Ille, ut verbis id retracta-

ret, uxorem verberibus contundebat, pugnis cædens ac calcibus. Quo magis cædebatur, eò plus illa pediculoſum vocabat. Vir tandem verberando laſſus, ut uxoris pertinaciam ſuperaret, per funem in aquæ puteum demiſit, ſuffocaturum ſe eam dicens, niſi verbis ejusmodi abſtineret, illa inſtantiùs perſeverabat etiam in aquâ mentum usque conſtituta, verbum illud continuans. Tum vir eam ne amplius loqui poſſet, in puteum demerſit, tentans, ſi eam mortis periculo à verberum pertinaciâ poſſet avertere. At illa loquendi facultate ademptâ, etiam, dum ſuffocaretur, quod loqui nequibat, digitis exprimebat, Nam manibus ſuper caput erectis, atque unguibus utriusque pollicis conjunctis, ſaltem quod potuit geſtu, viro pediculos objiciebat, unguibus enim eorum di-

digitorum pediculi à fœminis occidi conſueverunt.

Fluiditas cujusdam Poëtæ.

POëtices Leo X. Pontifex & ipſe Studioſus & liberalis fuit Mæcenas. Erat tum Romæ inter cæteros quidam Andreas Maro, qui ob exprompt am condendi carminis vel potiùs verſificandi facilitatem, quum ſtans pede in uno flueret luculentus & multos ex tempore verſus recitaret; Archipoëtæ nomen conſequutus fuerat. Is quum ad Pontificem veniſſet, ab eo invitatus, ſequentem verſum gloriabundus, nihil arroſis unguibus effudit:

Archipoëta facit verſus pro mille poëtis.

Ibi Pontifex non minus facili venâ ſequens Pentametrum ſubjunxit:

Et pro mille aliis Archipoëta bibit.

Cur beani aut cornuti careant dentibus?

EAdem eſt materia cornuum, humidum ſcilicet nutrimentale; materia itaque quæ deberet parere dentes, tranſit in cornua, quod natura, utpote provida mater ejusmodi animalibus ad defenſionem ſui, tribuit, ut verò quoque defectus dentium in ſuperiori mandibulâ ſuppleretur, hinc animalia cornuta bis cibum maſticant, & ruminando reciprocant.

Mæchi ridicula deluſio.

MÆchus veſperi eques Urbe egreſſus invicino pago indulturus ſilenti jam tum nocte equum dumeto alligabat, & poſtmodum celeri ad ſpurcitias pede volabat; nec tamen latebat ejusdem pagi inco-

colas ejus intentio: Utpote actibus frequentatis patefacta, quare equo abducto in ejus locum bovem prægrandem ſubſtituunt, eique equeſtrem inſternunt apparatum, mox excitato tumultu mœchum in fugam conjiciunt, qui ut ſtrato receptus, bove hoc ad inſolitum onus & flagra mugiente ac per invia rapto, brevi eques inter vepreta excuſſus jacuit, ratusque dæmone ſe vectore ſcelerumque ultore exceptum quâ potuit viâ, pedes urbem repetiit.

Pueri culinæ ſapiens reſponſio data Regi.

LUdovicus Secundus Galliæ Rex, aliquando ſub perſonâ tectâ culinam intrabat, in qua puerum aſſaturam veru ad ignem vertentem conſpicatus, interrogabat, ecquidnam ex hoc tuo opere lucraris?

puer, tantundem indè lucri reporto, quantum ipſe Rex. Ludovicus; quid ergò Rex lucratur? puer reddidit: victum & amictum, hunc Rex à DEO; Ego verò à Rege, dum ei ſervitiis meis præſtò ſum, accipio. Hâc pueri prudenti reſponſione Rex delectatus, ad altiora eum evexit.

Excuſatio ob potum aquæ.

APud nonnullas nationes mos eſt, vinum antequam bibatur, aquâ diluere. Hinc merobibus quidam Germanus in Convivio, ceteris Baccho Nymphas vel Lymphas potiùs admiſcentibus, cur ipſe idem non faceret, facetè ita ſe excuſavit: Diu jam eſt, dum Aſtrologum quendam de vitæ meæ fortunis conſului; etſi autem de multis ille me monuit, mihi ut caverem; animo tamen probè adhuc inſculptum ha-

habeo, illum ob magnum periculum, alioquin certò incurrendum, aquas mihi vitandas præcipiſſe: Ab eo igitur tempore ſtatui, nunquam vinum aquâ miſtum bibere; ac præceptum iſtud obſervando, à periculo illo hactenus rectè mihi cavi, & etiamnum cavebo.

Viſus debilis.

VEtula octogenaria medicum accedebat, eundem rogans, ut ſi quod poſſet remedium communicaret, viſum debilitatum confortans, aut ſi poſſibile, redintegrans, ne antequam mundo valediceret, viſu deſtitueretur. Medicus humilem vetulæ ſimplicitatem demiratus, inquiebat: Vidiſti unquam, domui fermè corruenti novas feneſtras adaptari? Domine, reddebat vetula, ſi non novæ adaptan-

tur, antiquæ ſaltem reſarciuntur & illuſtrantur.

Pater tentat ſcientiam filii.

Filius ruſtici ſtudiorum curſu finito, ſæpiùs de ſcientiâ à patre tentatur, reſpondit: tempus doctrinæ ſuæ declarandæ nondum adeſſe. Accidit, ut parentibus unâ cum filio menſæ accumbentibus, tria ova apponerentur. Nunc, inquiebat filius, occaſio ſpecimen doctrinæ meæ exigit; pater mi! ego demonſtrabo hic quinque eſſe ova, etſi tria tantum conſpiciantur. Parens ecquonam modo? Ubi tria ſunt, ibi & duo ſunt; ſed hic tria ſunt, ergo & duo ſunt. Subſumebat. Sed duo & tria faciunt quinque, ergo &c. parens concedebat totum, dicens: Benè eſt, fili mi! laudo acumen tuum, ego ex his

quin-

quinque ovis duo comedam, unum matri dabo, relicta duo tu ſume.

Mulieres cur rarò, ſenes crebrò inebrientur?

QUia mulieres ſunt abundantis humoris, quod & lenitas, ſplendor, & aſſiduæ purgationes indicant, cùm ergò vinum tam largo humori commiſcetur, debilitatur, ut Spiritus ejus cerebri ſedem ferire non poſſit. Contrarium verò in ſene videre eſt, cùm habeat corpus valdè ſiccum, conſequenter vinum non habet humorem repugnantem, qui ejus Spiritus calidos debilitet.

Simplicitas cujuſdam ſervi.

QUidam adoleſcens gloriæ cupidus, convenit cum ſervo ſ, ut de quâcunque re apud amicam loqueretur, ſemper ipſe ſervus rem

exaggeraret: dum eſſet cum puellâ, diceretque de cenſibus ſuis, ſemper ſervus triplicaret. Cùm verò alio tempore iterum conveniret amicam, & ipſa diceret: Videris mihi, ô amantiſſime! paululum infirmus: Dixit ille ſe pallidulum, parumque infirmum. Ad hoc ſervus: Meritò eſt pallidiſſimus, quotidianâ enim & incurabili valetudine laborat. Hoc Dominus ægrè tulit, ſervumque remotis arbitris acerbiſſimè caſtigavit, quòd ea apud amicam de eo diceret. Tum illi ſervus dixit: Ita enim fieri debere exiſtimavi, ut quicquid tu diceres, ego copioſius & augerem; & confirmarem. Sic ſimplices ſunt ſervi: ſed mundus decipit, & vult decipi.

Me-

Memoria.

MAritus quiſpiam, ne affligeret memoriam reflectendo ſuper commiſſa; pridiè confeſſionis tundebat uxorem, quæ illi omnia ex ordine objiciebat.

Ut ſeris, ita metes.

NObilis quædam fœmina ad Miſſam audiendam in templum properans, ex homine obvio, qui tamen nobilem habitu præ ſe ferebat, è templo egrediente, per irriſionem percunctata fuerat, utrum Ruſticorum Miſſa jam peracta eſſet? imò ille, etiam, inquit; jam verò Meretricum incipit, ideòque properandum tibi intelligo. *Ut ſeris, ita metes.*

De morbis hujus anni.

COrripientur homines diverſis infirmitatibus ſecundum diverſas

eorum complexiones, ille laborabit podagrâ, alter febribus, hic dyſenteriâ, ille tumbagine: omnes autem avari laborabunt chiragra: aliqui autem convaleſcent, alii morientur, ſani melius habebunt, quam infirmi, pariter divites quam pauperes. Tam principes quam populares hoc anno timere habent mortem; principes præſenti anno ſibi caveant à gravibus morbis, tum enim ſani & benè validi manebunt. Quod ſi minùs fecerint, timendum ubi morbus invaluerit, quoſdam eorum morituros eſſe. Communis plebs ſi multum auſteri lactis, pruna & ſimilia comederit, formidandum, ne ex ejuſmodi eſu ventris profluvium patiantur, ſi aquam biberint, ne iis venter intumeſcat ac in grave periculum incidant, præſertim ſi indoctum medicum curatorem ſuſceperint. Ex ceraſorum

eſu

eſu homines calculoſi efficientur, per poſteriora enim innumeros calculos ejicient.

Paſtoris ſimplicitas.

HElvetius quidam in Alpibus paſcendorum pecorum curâ detentus, quòd rariſſimè ad Eccleſias veniret, ſemel inſtigatus à vicinis ſuis in hebdomade magnâ, quàm & ſanctam vocamus, matutinis interfuit. Et cum ſolito more extinctis luminibus tumultus fingeretur, quem Judæi concitaſſe creduntur in captione Chriſti; ille extracto gladio, in angulo Fani ſtetit ſummo timore perculſus: Cumque rurſum accenderentur lumina, vicinum ſuum acclamans, quæſivit: anne vulneratus eſſet? Et interea vidit Sacerdotes imaginem Crucifixi portantes, & quoniam non novit imaginem, dixit: Ego

benè

benè cogitavi tantum tumultum non finitum iri ſinè homicidio.

Invitatio cujusdam ad prandium.

HOc modo: ô bone vicine! veni hodie in domum meam & mecum prande: ſi enim edulia tecum apportaveris, non niſi ad vini ſolutionem te compellam.

Reſponſum Ruſtici datum cuidam Virgini.

CApreolam vendendam foro importabat Ruſticus, hunc Virgo offendebat, cui animal ſummoperè ob munditiem arridebat, unum Virgini diſplicebat, quod necdum cornua (quæ tenera ætas renuebat) geſtaret, de cujus causâ ſciſcitanti, Ruſticus reſpondit: ideò nondum cornua geſtare capreolam, eò quod conjugio non ſit nexa.

Cum

Cum mulieribus fæcundis quid agendum?

MItte illas ad Thermas Badenſes & res erit in vado: de his enim thermis ita Poggius Florentinus, Leonardo Alerino ſcribit: nulla (inquit) in orbe terrarum balnea ad fæcunditatem mulierum magis accommodata eſſe : innumerabilem multitudinem nobilium & ignobilium ducenta millia paſſuum eo venire, non tam valetudinis, quám voluptatis causâ. Omnes amatores, omnes porcos, quibus in deliciis vita eſt poſita, eo concurrere, ut fruantur rebus concupitis, multas fœminas corporum ſimulare ægritudines, cum animo laborent, omnibus unam mentem eſſe triſtitiam fugare, quærere hilaritatem, non de communi dividendo agere, ſed de communicando diviſa.

viſa. Has ipſas thermas Auguſt. Busbeq. epiſt. 3. fol. 138. conciliatrices amorum vocat, quod ſi ſiniſtro quodam fato balnea iſta nihil proderunt, uxores ad Academias mitti poſſunt, ubi omnium facultatum Studioſi facilè rimabuntur ſterilitatis cauſas: nôrunt enim plerunque morbos mulierum, præſertim Studioſi Medicinæ, quibus pro viva Anatomia eſſe poſſunt, facilique labore ſterilitatem abigent, fœcunditatemque provocabunt.

Mariti omnes mulierem timent.

CIrcumferebat quidam per univerſum orbem calceos, quos vocamus, eas offerens illi vero, qui uxorem ſuam non timeret. Et cùm diù neminem inveniret, qui acceptare vellet: tandem Ruſticanus quidam homo & incompoſitus

tus adfuit, cui & laridum porrexit, ut eas ungat: Sed quia novo induſio & candido indutus erat Ruſticus, non audeo, inquit: uxor etenim, quod induſium denigrarem, argueret. Tunc ille ocreas recipiens, illisque eum percutiens: Abi! dixit, in malam crucem, quoniam in leviſſimâ re uxorem times, meque defraudare ſtuduiſti. Atque mox abiens, non credo, quòd adhuc alicui donaverit. Qui credit ſe uxoris ſuæ Dominum (deſperatum modum excipio) veniat ad Nundinas Francofurtenſes & erit ei præmium, inſinuatque ſe in hoſpitio, quæ rubra domus inibi appellari ſolet.

Advocati volunt dona.

QUidam Advocatus inſcripſit portæ: Bonis ſemper patet. Alius immutans primam literam & ex

ex B. faciens D. ſonabat; Donis ſemper (& *hoc veriſimilius eſt*.)

Plato avarus.

ARiſtippum Plato reprehendit, quod magnum delicatorum piſcium numerum coëmiſſet tanquam id Philoſophum minus deceret. Reſpondente Ariſtippo: ſibi hos parvo emptos, ſubjunxit Plato: Atqui ne viliori quidem ego pretio eos emerim. Cui Ariſtippus: Vides igitur, ô Plato! non me guloſum; ſed te avarum eſſe.

De quodam Judæo.

IN Anglia Judæus quidam nomine Salomon in ſecreta cecidit, & cùm die Sabbathi fuerit, eundem Hebræi extrahere noluerunt, ſubſequenti die Dominicâ eundem extrahi Chriſtiani, eò quod illorum Sabbathum fuerit, non admiſerunt, coactus

coactus ergo miſer Judæus duabus diebus in tam fœdâ caveâ ſedere: quare quidam induxit eundem loquentem:

Sabbatha ſancta colo, de ſtercore
ſurgere nolo.

Cui Chriſtiani reſponderunt:

Sabbatha noſtra quidem Salomon
celebrabis ibidem.

De quibusdam Bohemis.

QUidam Bohemi furati ſunt porcum & quoniam Dominus pagi irruere, fecit milites, hi porcum tanquam hominem mortuum jam extenſum, ſuper quem album linteamen & candelæ accenſæ circum erant & Mater atque filii eum deplorantes, ſalvarunt.

Ab-

Abbatis ſubtilis reſponſio.

LUdovicus XI. Rex Galliæ Benni-enſis Monaſterii Abbatem rogaverat, ut Abbatia ſua cederet. At ille quadraginta inquit annos primis duabus litteris Alphabethi A. B. (galli enim ſua lingua *Abbé* Abbatem dicunt)diſcendis inſumpſi, quæſo, ut duabus ſequentibus, nimirum C. D. (*Cede*) diſcendis, totidem annos mihi concedere velis.

Bacchanalia.

Eja læti exultemus,
Dies Bacchi celebremus,
Inter mera gaudia.
Hi ſunt namque boni dies,
Et optata ſæpè quies.
Cunctis ab hominibus,
Metu proin & labore,
Monachali & dolore,
Pectus noſtrum careat.

Au-

Audi bone Gurguline,
Græcè bibas & latinè,
Tuum fac officium,
Bacche Pater combibonum,
Et amator ludionum,
Potum da petentibus.
Tibi vota Sacra damus,
Tibi fauſta delibamus,
Et potamus jugiter.

Prudentia Selymi.

SElymus, primus Imperator Turcarum, barbam exactè, contra anteceſſorum ſuorum morem, radi curabat; cujus rationem, interrogatus reddidit, ne, quemadmodum patri ſuo accidiſſet, ipſe quoque barbâ prehenſus, à conſiliariis ſuis, pro illorum libitu morionis inſtar, diſtraheretur.

Filius

Filius monet Patrem de verberatione matris.

PUer videbat matrem ſuam à Patre quotidiè penè verberari. Cùm ergo veſpere quodam diceret Pater, ſe quiddam oblitum, ſubjecit Filius, at ego novi, quod ſit illud quiddam: tum Pater ; dic, bone fili! quid eſt ? Et Filius : Matrem verberare oblitus es.

Quot ſunt mundi.

IN Academiâ quadam celebri Germaniæ, theſes erant Phiſicæ propoſitæ, & inter cæteras illa: non eſſe niſi mundum unicum; hanc quidam ex Scholaribus oppugnaturus propoſuit illud ex Evangelio de leproſis decem ſanatis, ubi uno reverſo, & gratias agente, Chriſtus Dominus quaſi expoſtulans inquit: Nonne decem mundi facti ſunt ? Cùm ergo inquit argumen-

mentans decem mundi facti ſunt, falſa eſt theſis. Præſes diſputationis cum ſtolido argumento facilè poſſet reſpondere: Quandoquidem ait ex ſacris literis argumentatur, ex iisdem reſpondeo, ubi mox poſt verba citata invenitur: ſed novem ubi ſunt? non eſt inventus niſi unicus.

Piſtor veritatem non patitur.

RUſticus in quodam ſpectaculo Chriſtum crucifixum agens, cum à Judæis malè percuſſus eſſet, abjectâ cruce, diabolus, inquit: ſic poſthac veſter DEUS, ego nunquam ero. Sed cum iterum Piſtor hanc ageret perſonam, Judæi illum probroſis dehoneſtabant verbis. Quod cum patienter pertuliſſet, dixit alius ad eum: Fur farinæ! Ad quod Piſtor: Tace, aut ego te cruce in terram proſternam. Veritas

enim non patitur jocum, nec homines conſcii ſibi, libenter audiunt cum veritate ſecum jocari.

Imprecatio Ruſtici.

Quidam Ruſticus in pago, cui nomen erat Balthaſar N. N. certam quandam fabellam narrabat, cui ut fides haberetur, ita confirmavit: Niſi ita ſit, auferat me diabolus. Et mox conſcius mendacii, & ita intrâ ſe territus, revocavit verba, atque abſit, inquit: ut hoc pacto me hic devoveam: neſcio enim, quales apud vos hic ſint diaboli: at illud ſcio, ſi domi & apud nos ſic jurarem, quòd noſtri dæmones nihil mihi nocerent. En ridiculam rem, putabat enim diabolos ſui pagi non eſſe tam malos, ac alios alibi degentes.

Religio generis fœminini.

MOnachus quidam fugitivus veniens in Saxoniam, volens amplecti fidem Evangelicam interrogatus à Superintendente, cur illic venerit? Reſp. Propter fidem. Fidem reponitur, cujus Generis fides? Reſpondebat Monachus: Generis fœminini, Superintendens deſuper: Ergo propter Genus fœmininum huc veniſti.

Teſtamentum Porcelli.

GRunnius Corocotta porcellus tale teſtamentum fecit. Ego infraſcriptus de viſceribus meis dabo ſutoribus ſetas, rixatoribus capitinas, ſurdis auriculas, cauſidicis & verboſis linguam, babulariis inteſtina, eſciariis femora, mulieribus lumbulos, pueris veſicam, puellis

caudam, cynædis muſculos, curſoribus & venatoribus talos, latronibus ungulas, muſicis chordas, epulonibus roſtrum; ruſticis merdam, ſueculis mammas, nec nominando coquo do, lego, piſtillum, quod mecum detuleram à querceto usque ad haram. Liget ſibi collum de reſte. Optimi amatores mei vel conſimiles vitæ, rogo vos ut corpori meo ſatisfaciatis, benè condiatis de bonis condimentis, nucleis piperis ac mellis, ùt nomen meum in ſempiternum nominetur.

Fur primæ claſſis.

IN aula cujusdam Principis, dum choreis agitatis certaretur poculis, & biberetur indulgentiſſimè, fortè unus aliquis è proceribus vino probè irrigatus, ad feneſtram ſedens etiam ſomno irrigabatur largiter:

giter : famulis intereà, ut fieri ſolet, etiam ſibi ac ventribus ſuis aliquid boni indagantibus, Dominum deſerentibus. Advenit homo ignotus malarum artium doctiſſimus, Perſonâ, cultuque non contemnendus : dormientem, & in collo ejus torquem aureum ponderoſum intuetur, & propè adſtantes interrogat, num diu dormierit, & an non aliquis ſit circa illum de Miniſtris? reſpondent Miniſtrum adeſſe nullum, nec poſſe expergefieri, nec dimoveri loco. Tum impoſtor incipiens: Miſer, homo eſt, inquit, potationique deditus, cùm vini vim ferre nequeat, utpote infirmi capitis. Ego eum ut cognatus cognatum fideliter, amanterque centies monui, & rogavi ſui curam ne adeò abjiceret, valetudinem iſtis helluationibus ne corrumperet. Quid ſi nunc quiſpiam peregrinus adven-

taret, & occaſionem tantùm furandi cerneret; at ego illudam homini probè. Hoc dicto, de colle torquem aufert. Et quid, inquit, dicet, poſtquam evigilaverit? Amabo, ſinite illum torquis amiſſi dolore aliquamdiù angi. Tandem ad componendum illum, dicite cognatum ejus (novit benè quis ſim) ſecum illum aſportaſſe. Servabitur & reſtituetur, ne dubitate. Sic trifur ille diſceſſit. Et certum eſt, hunc dormitatorem, ſuum illum fictitium cognatum nunquam vidiſſe, nunquam viſurum.

Latinitas cujusdam Pennalis.

NUper ſcripſiſtis ad me de Colonia, & reprehendiſtis me, quòd ego non ſciberem ad vos, ex quo dixiſtis præ aliis legiſtis meas litteras,

ras, quod habent bonum ſtylum, nec non procedunt rectè ſecundum artem epiſtolandi, quam audivi à veſtra præſtantia Colonia : ego ſcriberem vobis, non habeo ſemper inventionem & materiam, ut nunc habeo : Vos debetis notare quòd jam hic celebratur quodlibetum: & Mag. Doctoreſque expediunt ſe artificialiter cum magna doctrina in determinandis, ſolvendis, proponendis quæſtionibus argumentis, problematibus in omni ſcibili. Et cum hoc Poëtæ & Oratores apparent valdè artificioſi ac ſcientioſi, inter quos eſt unus notabilis & Magiſtralis in illa arte præ cæteris, qui facit ſibi magnum titulum, quando intimat lectiones ſuas ; & dicit, quod eſt Poëta Poëtarum, & quod præter eum non eſt alius Poëta. Ipſe ſcripſit quendam tractatum metrice, quem notabiliter in-

titulavit, ego ſum oblitus nomen, credo quod eſt de ira & colericis; in quo tractatu ſtimulat Magiſtros multos, & alios Poëtas qui ſe impediverunt legere in univerſitate propter ſuam luxurioſam artem: verum Magiſtri dicunt ſibi in faciem, quod non eſt tam bonus Poëta ſicut gloriatur, & tenent ſibi multum in oppoſitum, & probant per vos, videlicet, quod eſtis multò profundior in arte Poëticali, cum hoc oſtendunt, quod non eſt benè fundatus in quantitate ſyllabarum, prout determinat Magiſter de villa Dei in tertia ſui, quam ille videtur non ſufficienter legiſſe, atque deducuntur contra ipſum intentum ſuum multipliciter. Primo per nomen veſtrum, & hoc dupliciter. Primo ſic: ecce iſte vult profundior eſſe Poëta, quam Magiſter Ortuinus, & tamen nomen ſuum non pati-

patitur. Profecto Mag. Ortuinus dicitur Gratus à ſupernaturali gratia; quæ vocatur gratia gratis data, quia, aliàs non poteritis ſcribere tàm profunda dictamina Poëtricalia ſine illa gratia gratis data eſt vobis per Spiritum ſanctum, qui mira in vobis operatur.

Invitatio ridicula.

PEtrus, Marcus Senenſis, amicum cœlo admodum turbido, & non pluvias tantùm, ſed grandinem quoque minante, iter facientem amantiſſimis verbis, ut in ædes ſuas, quoad præteriiſſet tempeſtas, diverteret, invitârat: is verò nihilominus iter proſequens quum vix octavam milliaris partem emenſus eſſet, tam effuſo imbre, tamque turbulentâ tempeſtate exceptus fuit, ut pergere ampliùs non poſſet. Re-

verſus igitur ad Marci villam, fores pulſat, ac proſpicienti è feneſtra Marco, Amice, inquit, prius illud meum propoſitum mutavi : Et ego meum, reſpondit Marcus; ſtatimque ſe ſubduxit : Sic illi alibi hoſpitium fuit quærendum.

Epiſtola ridicula.

SAlutem maximam & multas bonas noctes, ſicut ſunt ſtellæ in cœlo & piſces in mari & deberis ſcire, quod ego ſum ſanus, & etiam Mater mea, & vellem libenter etiam taliter audire de vobis : quia ego cogito quotidiè ad minus ſemel de veſtra Dominatione. Sed cum licentia audite unum magnum miraculum, quod fecit hic unus nobiliſta, diabolus confundat eum in æternum, quia ſcandalizavit Dominus Antonios in menſa, ubi fuerunt

runt multi Domini & nobiliſtæ, & non habuit unam guttam verecundiæ, ſed fuit ita prætenſus quod ego miror. Ipſe dixit: Ecce, iſte Juvenis eſt doctior quam vos & dedit ei unum Knip. Tunc Magiſter noſter dixit: Ego mitterem ſolverem collum meum, an hoc eſt verum. Sancta Maria, iſte juvenis eſt in Theologia, ſicut unus puer, & unus puer plus ſcit in Theologia, quam iſte juvenis. Sancta Maria, credatis mihi, quod ego habeo experientiam. Tamen ipſe ſcit in libris Sententiarum. Sancta Maria iſta materia eſt ſubtilis, & homines non poſſunt iſta capere ſicut Grammaticam & poëtriam. Ego vellem etiam benè poëta eſſe, & ſcirem etiam componere metra, quia audivi in Zagrabiâ Sulpitium de quantitatibus ſyllabarum. Sed quid eſt? Ipſe deberet mihi proponere unam

quæſtionem in Theologia, & deberet arguere pro & contra.

Somnium.

SCribit Pontanus, militem Genuenſem ſomniaſſe, ſe à ſerpente devorari: metuens igitur ille ſibi, noluit cum reliquis eo die in aciem prodire, ſed Genuæ in ædibus ſe continuit. Fortè autem tumultu orto periit ictus globo bombardæ, quam vocant ſerpentem.

Aſtutia aurigæ deprehenditur.

ARgentorati auriga quidam in foro vinario vinum venum propoſuerat. Id cum civis quidam Argentoratenſis mercatus eſſet, antequàm pretium annumeraret, etiam ſciſcitatus eſt ab auriga, quantum aquæ

aquæ vino illi immiſcuiſſet, atque ut liberè fateretur, blande rogat; rem enim hanc ei minimè fraudi futuram, & parùm imò nihil referre, ipſene auriga prior aquam infundiſſet, an verò à ſe deinceps miſceretur, cùm vinum dilutum ſemper bibere ſoleat: ideoque nihilominùs ſe ei pretium pro vino, ut inter ſe conventum eſſet, perſoluturum. Quod ſi verò ipſe œnopola aquam necdum miſcuiſſet, ſibi tamen neceſſe eſſe infundere, quod, uti dictum, vinum generoſius non niſi aquâ prius benè dilutum bibere conſueviſſet. His verbis perſuaſus ſimplex auriga tandem indicat certam aquæ quantitatem non modicam, quam vino infudiſſet. Igitur civis aſtum ſimulans, ſubductâ ratione, (detractâ tamen aquæ quantitate, quam auriga indicârat) ſolùm pro vino aurigæ pecuniam an-

numerat. Auriga animadvertens deeſſe quiddam pacto inter ſe pretio, pecuniam haud integram ſibi perſolutam eſſe queritur. At emptor; Dedi, inquit, quantum quidem pactus eram, & pretium, quo mecum conveneras, pro vino perſolvi: Aquam verò, quam tu fraudulenter vino commiſcuiſti, cur ego argento emam, cum ea gratis ubilibet proſtet? Quod ſi perſoluto à me pretio nolis eſſe contentus, age ſanè ad urbis Prætorem unâ pergamus, utrius cauſa æquior ſit, adituri. Verum auriga, malè ſibi conſcius & cauſæ ſuæ diffidens, veritus, ne inſuper etiam ſibi, quod vinum adulteraſſet, ac emptores defraudare conſtituiſſet, multa non modica irrogaretur, accepto pretio, quantum quidem ab emptore tunc perſolutum erat, mox ſeſe ſubduxit.

Con-

Contentio inter Chriſtianum & Hebræum.

HEbræus contendens cum Chriſtiano, affirmabat plures Judæos eſſe in cœlo ſanctos, quàm Chriſtianos. Paciſcuntur ergo, ut uterque ſuos ſigillatim recenſeat, & ad unum quodque nomen alteri pilum è barba evellat. Incipit Hebræus, nominat Abrahamum, & ex pacto pilum Chriſtiano vellit, Chriſtianus nominat ſanctum Petrum, idemque facit. Pergunt hoc modo. Tandem pertæſus Chriſtianus in barbam Judæi invadit totamque ſimul diripit, dicens; S. Urſula cum undecim millibus.

Reſponſio interrogati: Mater cujus ſit generis?

SUperbus nonnemo, ſe benè admodum in Palladis officinâ verſatum

ſatum ratus, alium, quem tanquam rudem dedignabatur, in majus ludibrium puerilibus quæſtionibus vexabat, interrogando eum: Mater cujus generis? Interrogatus ſcitè reſpondit, mea quidem Mater eſt generis fœminini, tuam ſcio eſſe generis communis; ita tumidum animum, multorum riſui exponendo, compeſcuit.

Simplicitas Filii.

Mulier filium, alienum ſolum cogitantem, unum rogabat unicè quod abſentis vice pectori ſolatium afferret: nimirum ut quandoque (occaſione id concedente) litteras ad ſe deſtinaret. Obſervavit Filius, videns enim Dominum ſuum, cui famulabatur, aliquot Vulcano confectanrem, petiit, ut ſibi aliquid donaret, matri id flagitante transmittendas.

Re-

Reſponſio acuta.

MArcus Antonius Poëta, Venetiis Comædiam celebrem inſtituerat, in qua perſonas numero & auctoritate frequentes exhibebat. Alius nomine Bothon, hujus felicitati invidens, ſpiculum Antonii animo intentabat, dicendo: Tu recto ordine actores hos collocaturus totius Sclavoniæ lignis Theatrum vix conficies. Antonius acutè retorquebat, Tragœdiæ, inquit, tuæ tria ligna ſufficient.

Ludovici XI. Regis Galliæ cura de ſanitate.

ITa vitæ ſuæ timebat Ludovicus XI. Franciæ Rex, ut omne hominum genus, undè ejus conſervandæ vel propagandæ ſubſidium aliquod peti poſſe videbatur, circa ſe

habe-

haberet : eoque Medicum menſtruè denûm millenûm aureorum ſtipendio conductum aleret. Inter alios Aſtrologum quoque habebat ſatis celebrem, vel potiùs famoſum : Quem Rex poſtridiè venatum exire volens, de ejus diei tempeſtate conſulit. Inſpicit tabulas ac cœli conſtitutionem Aſtrologus. Serenitatem pollicetur. Progreſſo Regi, non procul à ſylva in qua inſtituta erat venatio, occurrit carbonarius, aſinum carbonibus onuſtum agens; qui viſo Rege, exclamavit : Benè feceris, ô Rex, ſi quàm citiſſimè ad urbem redieris : Siquidem intra paucas horas atrox te excipiet tempeſtas Rex contempto hominis ſermone, aliter ſcilicet perſuaſus ab Aſtrologo, pergit nihilominus. Vix dum venationis factum erat initium, quum ecce aër nubibus obduci, cœlum tona-

tonare, fulgurare, tantus denique imber decidere cæpit, ut foſſæ undique aquis ſtagnarent. Dilapſis hinc indè aulicis & venatoribus, & tuta à pluviæ injuriis loca quærentibus, Rex equi pernicitate confiſus, ad proximum pagum, & mox ad ipſam urbem convolat. Alio poſt die carbonarium accerſitum interrogat, ubi & à quo Aſtrologiam didiciſſet, & quâ arte pluviam illam prævidiſſet ac prædixiſſet. Cui carbonarius: Ego ne à limine quidem ſcholam unquam ſalutavi, adeòque omnium litterarum expers ſum: domi tamen meæ Aſtrologum alo, qui verum mihi ſemper, falſum nunquam dicere ſolet: Quis ille? ait Rex. Aſinus meus, ait carbonarius, quem heri ante agebam. Hic, ſi quando immineat tempeſtas aut pluvia, aures demittit, lento it gradu, muro aut arbori

ſe

ſe applicat, & latus fricat. Quibus ſignis & Prognoſticis heri animadverſis, te monui, ut domum revertereris. Rex in riſum ſolutus, Aſtrologum aulâ ejici, ſtipendium verò carbonario dari, & aſinum Aſtrologum benè tractari juſſit additâ hac aſſervatione: Ita vivam valeamque, ut ego poſthac nullo alio Aſtrologo, quàm carbonarii aſino uſurus ſum.

De Pecuniâ in terram defoſſâ.

BOnam argenti ſummam quis certo loco in terram defoderat, nemine conſcio, præterquam vicino quodam intima familiaritate ipſi conjuncto; qui fidem non ſervans, noctu theſaurum effoſſum, ſecum aſportavit. Alter ille ſpoliatum ſe videns, illumque ipſum uti erat, furti

furti auctorem eſſe ſuſpicatus, nullo triſtitiæ ſigno oſtenſo ſed vultu ad hilaritatem compoſito vicinum adit, inquiens; Fortunam quotidie ſibi magis magisque eſſe propitiam, utpote quæ novas ſibi divitias objecerit: eoque ſe ſtatuiſſe ſequenti nocte illo ipſo in loco, ubi ante theſaurum defoderat, alteros mille ducatos recondere. Vicinus tanquam vulturis prædæ huic omni inhians, quam primum ad locum illum proficiſcitur, & theſaurum ablatum ponit, poſtridie unà cum alteris illis mille ducatis, & cum omni pulviſculo, ut ita dicam, inventurus & ablaturus. At ille argentum illud prius ſecum domum aſportavit, atque ita vulturium hunc vicinum ſuum lepidè deluſit.

Aſtu-

Aſtutia mulieris.

FUit maritus quidam, non magnarum facultatum; qui cum mortem ſibi iminere perſentiſceret, & ideò pia quapiam largitione animam ſuam expiare vellet, evocatæ ad ſe uxori dixit, velle ſe bovem, quem in ſtabulo aleret, vendi confeſtim poſt obitum, & illius pretium erogari in pauperes. Annuit ſic jubenti viro uxor; at illo extincto fraude uſa, quâ riſu, an irâ dignior fuerit, tu arbiter eſto. Bovem, uti promiſerat, Venalem fecit, ſed non ſolum: catum cum eo ſic conjunxit, ut qui illius emtor eſſe vellet, idem & catum quoque emere neceſſe haberet: & hunc quidem auri marcâ, illum verò non niſi nummulo unico. Repeririſſe ferunt fraudulentam hanc feminæ licitationem emptorem aliquem,

quem, qui & bovem, & catum ſic emerit, tum illam nummorum, bovis pretium, ut maritus moriens mandaverat, in pauperes erogaſſe pro anima defuncti; cati verò pretium, auri ſcilicet marcam, in ſuos uſus retinuiſſe.

Habitus facit virum.

OCcurrit jam memorabile factum Hermanni Buſchii, Poëtæ, & olim in Marpurgenſi Academiâ Profeſſoris celeberrimi, qui, ut audivit ex viris doctis & fide dignis, fortè fortuna per forum deſcendens, magnam turbam civium prætereiit, & quia domeſtico habitu indutus fuit, nemo debitum honorem ei detulit. Quod videns Buſchius, ſtatim domum reverſus eſt, & depoſitâ veſte tenui, togâ admodum prælustri ſe induit, forumque è ve-

è veſtigio reviſit. Ibi cum omnes aſſurrexerunt, omnes capita retexerunt, omnes reverentiæ ſigna dederunt. At verò doctus ille vir nihil talia moratus eſt, ſed iterum ſe domum recepit, & togam pedibus calcavit, dicens: Es tu Buſchius, vel ego ſum? Vehementer offenſus eſt excellens Vir præpoſtero hominum judicio, quos animadvertebat non homini, ſed veſti deferre honorem. Ludovicus Milichius in Oratione contra immoderatum veſtitum. Hinc Verſus vulgares;

Vir benè veſtitus, pro veſtibus eſſe peritus,
Creditur à mille, quamvis idiota ſit ille:
Si careat veſte, nec ſit veſtitus honeſtè,
Nullius eſt laudis, quamvis ſciat omne, quod audis.

Sue-

Suevus famelicus.

SUevus hoſpitium diverſus, eſuriens cibos petebat, hoſpes petenti, lactucam appoſuit, interrogatus, ad quid herba iſta? reſpondit hoſpes: valere ad appetitum excitandum. Suevus hanc, inquiebat, poſtquam ſaturatus fuero, porrigas, nunc plus nimio appetitus eſt excitatus.

Rudis Epiſtola.

QUanquam vos nihil ſciatis in latinitate ſeculari (ut unus dixit mihi) propter quod multum diligo vos: & non curatis pompoſa verba ſicut faciunt Poëtæ: tamen aliàs ſcitis uti debetis de nocte jacere (ſicut dicit ſapiéns in Proverbiis) & non eſt vobis magna cura quid faciunt illi novatores Latinita-

tis. Nec ego curo eos, quia non eſt de eſſentia ſacræ ſcripturæ, licet iſti ſemper Theologos antiquos plagare cum illa litteratura & neſcio quomodo ipſi ſupponunt eum novo teſtamento & operibus ſancti Hieronymi, quod ſemper volunt clam hæreticam literaturam immiſcere, cum tamen dicat Paulus, quod Græci ſemper ſint mendaces, & ergo videtur cum ſupportatione eximiorum Magiſtrorum noſtrorum: quod illa litteratura nihil ſit quam mendacium: nunc ſubſumo. Sed quicunque vult confundere ſacram Scripturam mendaciis, ille eſt hæreticus: ergo, nunc ipſimet ſciunt quid ſequitur, quia eſſet, credo ipſis ſcandalum quando ego palàm concluderem eos eſſe hæreticos. O ſi ſcirent iſtam ſubtilitatem in me eſſe, ipſi mihi non venirent antè faciem, ta-

cere

cere tamen volo usque ad finem, tunc bene videbitur, cujus toni.

Mendax.

NUgo quidam lepidus jactare ſolebat in conviviis, celebres ſe peregrinando urbes luſtraſſe quinquaginta, atque in ſingulis earum exegiſſe ſeſquiannum. Quum verò interrogaretur; quotum jam ætatis ſuæ annum ageret, reſponderetque, nondum quadrageſimum protinus, revocabatur res ab auditoribus ad calculum, deprehendebaturque, nugonem illum XXXV. annos, priusquam in lucem editus eſſet, peregrinando perluſtraſſe urbes.

Utrum ultra Rauſſerum, ut vocant, bibere liceat?

Concluſio:

ULtra Rauſſerum bibere non licet. Probat. ea quæ ſua malitia ſic

gratiam gratis datam excludunt, ut neque in hoc ſæculo, niſi ægrè admodum, neque in futuro remittantur, per ſe vehementer abominanda ſunt, & non licet. Sed talis eſt potatio ultra Rauſſerum. Ergo non licet. Major eſt Theologorum. Minorem probo. Quæ humanæ, fraternæ charitatis jura violant: ipſo facto gratiam excludunt. Ergo.

De Pediculo & Pulice.

QUidam Famulus, quum vidiſſet pediculum repentem in veſte regiâ, flexis genibus ac ſublatâ manu ſignificat, ſe neſcio quid officii præſtare velle. Ludovico præbente ſe, ſuſtulit pediculum, & clàm abjecit. Rogante Rege: quid eſſet? puduit fateri. Quum inſtaret Rex, faſſus eſt fuiſſe pediculum. Lætum, inquit, omen eſt; declarat enim me

me eſſe hominem : quòd hoc genus vermiculorum peculiariter infeſtet hominem, præſertim in adoleſcentiâ: juſſitque pro officio numerari coronatos quadraginta. Poſt dies multos alter quidam, qui viderat illi feliciter ceſſiſſe tam humile officium, nec animadvertens, plurimum intereſſe, ex animo facias quid, an ex arte, ſimili geſtu aggreſſus eſt Regem; ac rurſus illo ſe præbente, ſimulabat ſe tollere quoddam è veſte regiâ, quod mox abjiceret. Quum urgeret Rex tergiverſantem, ut diceret, quid eſſet, mirè ſimulato pudore, tandem reſpondit, eſſe pulicem Rex intellecto fuco, quid, inquit, an tu me facies canem? Juſſit tolli hominem, ac pro captatis quadraginta coronatis, infligi quadraginta plagas. Non tutum eſt, cum Regibus facetiis ludere. Quemadmo-

 dum

gratiam gratis datam excludunt, ut neque in hoc ſæculo, niſi ægrè admodum, neque in futuro remittantur, per ſe vehementer abominanda ſunt, & non licet. Sed talis eſt potatio ultra Rauſſerum. Ergo non licet. Major eſt Theologorum. Minorem probo. Quæ humanæ, fraternæ charitatis jura violant: ipſo facto gratiam excludunt. Ergo.

De Pediculo & Pulice.

QUidam Famulus, quum vidiſſet pediculum repentem in veſte regiâ, flexis genibus ac ſublatâ manu ſignificat, ſe neſcio quid officii præſtare velle. Ludovico præbente ſe, ſuſtulit pediculum, & clàm abjecit. Rogante Rege: quid eſſet? puduit fateri. Quum inſtaret Rex, faſſus eſt fuiſſe pediculum. Lætum, inquit, omen eſt; declarat enim me

me eſſe hominem : quòd hoc genus vermiculorum peculiariter infeſtet hominem, præſertim in adoleſcentiâ: juſſitque pro officio numerari coronatos quadraginta. Poſt dies multos alter quidam, qui viderat illi feliciter ceſſiſſe tam humile officium, nec animadvertens, plurimum intereſſe, ex animo facias quid, an ex arte, ſimili geſtu aggreſſus eſt Regem; ac rurſus illo ſe præbente, ſimulabat ſe tollere quoddam è veſte regiâ, quod mox abjiceret. Quum urgeret Rex tergiverſantem, ut diceret, quid eſſet, mirè ſimulato pudore, tandem reſpondit, eſſe pulicem Rex intellecto fuco, quid, inquit, an tu me facies canem? Juſſit tolli hominem, ac pro captatis quadraginta coronatis, infligi quadraginta plagas. Non tutum eſt, cum Regibus facetiis ludere. Quemadmo-

dum enim leones ſe nonnunquam placidè præbent fricanti, iidem, ubi lubitum eſt; leones ſunt, & jacet colluſor: itidem favent Principes.

Ridicula Epiſtola.

QUoniam quidem ſemper fui amicus veſtræ Dominationis,& procuravi veſtrum bonum: ergo nunc volo vos in veſtris adverſitatibus caviſare, & volo in veſtra fortuna eſſe lætus, & in infortunio triſtis: quia vos eſtis amicus meus, & cum amicis debemus eſſe læti, quando lætantur, & contriſtari quando triſtantur, ut ſcribit Tullius, quamvis eſt gentilis & Poëta. Igitur manifeſto vobis, quod hic habetis unum inimicum valdè malitioſum, qui dicit multa vituperia contra dominationem veſtram: & præſupponit multa extollens ſe in

ſuper-

ſuperbia ſua, & dicit coram omnibus quod eſtis ſpurius, & Mater veſtra eſt meretrix, & Pater veſter Presbyter, tunc ego ſteti pro vobis & dixi: D. Baccalaurie vel qualificatus, vos eſtis adhuc juvenis, & non deberetis vituperare Magiſtros. Quia ut ſcriptum habetur in Evangelio: Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum. Sed vos eſtis adhuc Diſcipulus & Dominus Ortuinus eſt Magiſter octo vel decem annorum, & ergo non eſtis ſufficiens ad vituperandum unum Magiſtrum vel virum in tali dignitate conſtitutum, alàs etiam invenietis aliquem, qui vituperabit vos, etiamſi eſſetis adhuc ita ſuperbus, vos debetis habere verecundiam, & non facere talia. Tunc ipſe dixit, ego loquor veritatem, & ſcio probare dicta mea, & non volo vos reſpicere, quia Ortuinus eſt ſpurius, & quidam

xi, non faciatis : quia Dominus Ortuinus eſt excellens vir, & poteſt ſe defendere.

Ignorans.

Cum in libro cujusdam Sacerdotis contineretur Feſtum Conceptionis Virginalis, & Sacerdos ille perveniſſet ad Evangelium, ubi dicitur : Abraham autem genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob &c. ipſe commutando feſtum Conceptionis legebat, Abraham autem concepit Iſaac, Iſaac autem concepit Jacob &c. Cùm autem reprehenderetur à quibusdam : Vultis vos (inquit) corrigere ſacram Scripturam? Videte Breviarium meum: illi viſo Breviario & ignorantiâ viri, induſtriam illius effusè laudaverunt.

Servus inutilis.

Conduxerat ſervum Dominus, ingenii difficilis & moroſi. Quare pertæſus tot mandatorum, toties iterandorum, penſum officii in tabella præſcripti formulam ſtrictè ageret, ſemel edixit. Evenit, ut ebrius, cùm domum duceretur præeunte face, in foſſam cœno plenam ac profundam inciderit; è quâ cum eluctari non poſſet, ſervum, ut adjuvaret, inclamavit. Ille ſe priùs in tabellâ ſuâ quæſiturum dicens, quid ex officio facere deberet, proripuit ſe, herumque in cœnô fruſtra, non ore modò, verum etiam pedibus manibusque argutantem reliquit.

Prætoris licentia.

In Saxonica ditione, cum perverſus ille imprecandi mos adeò apud

apud ruſticos invaluiſſet, ut vix verbum ſine diris aut juramentis comitibus proferrent, Prætor integer vitæ, ejusmodi ſub gravi pœnâ interdicta voluit. Pro mandati hujus (utpote ex ruſticorum opinione) inobſervabilis retractatione, & mitigatione ſaltem ruſtici apud Prætorem unanimiter interceſſerunt, motivum primarium ſubjungendo: ſine diris familiam gubernare, fore impoſſibile, exaudiret itaque ſupplices, & ſi non omnino tollere, ſaltem unicam imprecationem indulgere non detrectet; rogati quam illam? unanimi voto peſtilentiam elegerunt, hanc enim inquiebat carere blaſphemiâ: Annuit prætor, & ſupra illorum ſpem, liberalem ſe illis præbuit; adjecit etiam morbum Gallicum dicendo: Vobis peſtilentia non ſufficit, habeatis & morbum Gallicum.

Caupona mucoſa.

HOſpes quidam, cum intraſſet hoſpitium in quodam pago & videret cauponam ollam portare, ut peregrinis præberet neceſſaria, intuens faciem ejus, vidit naſum mucoſum & guttatim ſtillantem. Caupona autem dixit ei; amice! visne de carne & offâ? Reſpondit: Uti cadit, conſiderabat ſi quid olla de naribus incideret, ſe non guſtaturum.

Salſiſſimè Ruſticus Aſinum ſuum demulcens aït: O te infelicem, pulle mi! ſi natus fuiſſes in Civitate Cajeta, jam te Senatorem aut Caſtellanum viderem. Perſtrinxit Neopolitanum Regem, qui ad Curiam Cajetæ rudes promoverat.

Regis Ludovici præmium.

LUdovico Galliarum Regi, ejus nominis undecimo, pro delectamento erat, corvos hiantes fallere. Dono fortè acceperat aliunde decem millia coronatorum (quoties autem principibus obtingit nova pecunia, venantur omnes officiarii & captant aliquam prædæ partem) id non fugiebat Ludovicum. Dum igitur ea pecunia exprompta eſſet in menſa, quò magis irritaret ſpem omnium, ſic loquutus eſt circumſtantibus. Quid? an non videor vobis Rex opulentus? ubi collocabimus tantam pecuniæ vim? Donatitia eſt, donari viciſſim convenit. Ubi nunc ſunt amici, quibus pro ſuis in me officiis debeo? Adſint nunc priusquam effluat hic theſaurus. Ad hanc vocem accurrêre permulti; nemo non ſibi ſpe-

rabat aliquid. Rex quum vidiſſet aliquem maximè inhiantem, & jam oculis devorantem pecuniam, ad eum converſus, Amice! inquit, tu narra? Ille commemorabat ſe diu aluiſſe falcones regios, ſumma fide, nec ſine gravibus impendiis: alius aliud adferebat, ſuum quisque officium verbis, quantum poterat, exaggerabat, idque non ſine mendaciis. Rex omnes benignè audiebat, & ſingulorum orationem comprobabat. Hæc conſultatio dilata eſt in longum tempus, quò diutiùs ſpe metuque torqueret omnes. Adſtabat inter hos primus Cancellarius, nam & hunc juſſerat acciri. Is cæteris prudentior, non prædicabat officia ſua, ſed agebat ſpectatorem fabulæ. Ad hunc tandem converſus Rex: Quid, inquit, narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat officia

ſua.

ſua. Ego, inquit, Cancellarius, plus accepi à benignitate regiâ, quam promeruerim: nec ulla de re magis ſolicitus ſum, quàm ut Regiæ in me munificentiæ reſpondeam, tantum abeſt, ut velim flagitare plura. Tum Rex: unus igitur, inquit, omnium non eges pecuniâ? Ne egerem, inquit alter, jam tua præſtitit benignitas. Ibi Rex verſus ad alios: Næ ego ſum, inquit, Regum omnium magnificentiſſimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium. Hic magis accenſa ſpes eſt omnibus, futurum, ut pecunia cæteris diſtribueretur, quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum ubi ſatis diu luſiſſet Rex, coëgit Cancellarium, ut totam eam ſummam domum aufferret. Moxque verſus ad cæteros jam mœſtos: Vobis, inquit, erit alia expectanda occaſio.

Va-

Vanus Jactator.

Quidam gloriatus eſt, ſe luſtraſſe totám ferè Europam, maximeque Italiam. Interrogabatur de Venetorum urbe, magnificisque ædificiis. Ad quod inquit: Non poſſum plura dicere de Venetiis, eam enim urbem, non niſi ſemel, ſub crepuſculo veſpertino tranſivi equo: Quod cùm alii impoſſibile dicerent, eò quòd urbs mari circumdata, equorum ingreſſum & egreſſum non admitteret. Dixit ergo: fuiſſe hyemem eo tempore, dum tranſiſſet, atque ſuper glacie equitaſſe ad urbem. Quid juvat multa de ſe jactare, quæ vera non ſunt?

Puella jocoſa.

Quidam minatus eſt puellæ, ſe ad eam noctu clam venturum, illa ſub interminatione mortis prohibuit:

hibuit: quâ cultrum ſub lecto ſe collocaturum, quo eum interimat, teſtatur. Ille verò noctu veniens, invenit eam jacentem, quæ altum ſomnium finxerat: Undè calidè ſe ſimulaverat exiturum. Cui exeunti, puella evigilanti ſimilis, dixit; Mane: quia non habeo cultellum.

Gallus.

QUidam Francigena (uti eſt genus hominum fallax & verſutum) in civitate Ficino à quodam cive centum aureos mutuò accepit, oppignorando ei aureum torquem: atque illius uxorem accedens, dixit: Hoc accipe, centum atque unam noctem voluntati meæ obſequaris. Mulier prædæ dulcedine capta (cum ſit nummus optimum expugnandæ pudicitiæ inſtrumentum) conſenſit. Francus poſtrindè expletâ libidine virum acceſſit, ſuum tor-

Servus inutilis.

COnduxerat ſervum Dominus, ingenii difficilis & moroſi. Quare pertæſus tot mandatorum, toties iterandorum, penſum officii in tabella præſcripti formulam ſtrictè ageret, ſemel edixit. Evenit, ut ebrius, cùm domum duceretur præeunte face, in foſſam cœno plenam ac profundam inciderit; è quâ cum eluctari non poſſet, ſervum, ut adjuvaret, inclamavit. Ille ſe priùs in tabellâ ſuâ quæſiturum dicens, quid ex officio facere deberet, proripuit ſe, herumque in cœnô fruſtra, non ore modò, verum etiam pedibus manibusque argutantem reliquit.

Prætoris licentia.

IN Saxonica ditione, cum perverſus ille imprecandi mos adeò apud

apud ruſticos invaluiſſet, ut vix verbum ſine diris aut juramentis comitibus proferrent, Prætor integer vitæ, ejuſmodi ſub gravi pœnâ interdicta voluit. Pro mandati hujus (utpote ex ruſticorum opinione) inobſervabilis retractatione, & mitigatione ſaltem ruſtici apud Prætorem unanimiter interceſſerunt, motivum primarium ſubjungendo: ſine diris familiam gubernare, fore impoſſibile, exaudiret itaque ſupplices, & ſi non omnino tollere, ſaltem unicam imprecationem indulgere non detrectet; rogati quam illam? unanimi voto peſtilentiam elegerunt, hanc enim inquiebat carere blaſphemiâ: Annuit prætor, & ſupra illorum ſpem, liberalem ſe illis præbuit; adjecit etiam morbum Gallicum dicendo: Vobis peſtilentia non ſufficit, habeatis & morbum Gallicum.

Caupona mucoſa.

HOſpes quidam, cum intraſſet hoſpitium in quodam pago & videret cauponam ollam portare, ut peregrinis præberet neceſſaria, intuens faciem ejus, vidit naſum mucoſum & guttatim ſtillantem. Caupona autem dixit ei; amice! visne de carne & offâ? Reſpondit: Uti cadit, conſiderabat ſi quid olla de naribus incideret, ſe non guſtaturum.

Salſiſſimè Ruſticus Aſinum ſuum demulcens ait: O te infelicem, pulle mi! ſi natus fuiſſes in Civitate Cajeta, jam te Senatorem aut Caſtellanum viderem. Perſtrinxit Neopolitanum Regem, qui ad Curiam Cajetæ rudes promoverat.

Re-

Regis Ludovici præmium.

LUdovico Galliarum Regi, ejus nominis undecimo, pro delictamento erat, corvos hiantes fallere. Dono fortè acceperat aliunde decem millia coronatorum (quoties autem principibus obtingit nova pecunia, venantur omnes officiarii & captant aliquam prædæ partem) id non fugiebat Ludovicum. Dum igitur ea pecunia exprompta eſſet in menſa, quò magis irritaret ſpem omnium, ſic loquutus eſt circumſtantibus. Quid? an non videor vobis Rex opulentus? ubi collocabimus tantam pecuniæ vim? Donatitia eſt, donari viciſſim convenit. Ubi nunc ſunt amici, quibus pro ſuis in me officiis debeo? Adſint nunc priusquam effluat hic theſaurus. Ad hanc vocem accurrêre permulti; nemo non ſibi ſpe-

rabat aliquid. Rex quum vidiſſet aliquem maximè inhiantem, & jam oculis devorantem pecuniam, ad eum converſus, Amice! inquit, tu narra? Ille commemorabat ſe diu aluiſſe falcones regios, ſumma fide, nec ſine gravibus impendiis: alius aliud adferebat, ſuum quisque officium verbis, quantum poterat, exaggerabat, idque non ſine mendaciis. Rex omnes benignè audiebat, & ſingulorum orationem comprobabat. Hæc conſultatio dilata eſt in longum tempus, quò diutiùs ſpe metuque torqueret omnes. Adſtabat inter hos primus Cancellarius, nam & hunc juſſerat acciri. Is cæteris prudentior, non prædicabat officia ſua, ſed agebat ſpectatorem fabulæ. Ad hunc tandem converſus Rex: Quid, inquit, narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat officia ſua.

ſua. Ego, inquit, Cancellarius, plus accepi à benignitate regiâ, quam promeruerim: nec ulla de re magis ſolicitus ſum, quàm ut Regiæ in me munificentiæ reſpondeam, tantum abeſt, ut velim flagitare plura. Tum Rex: unus igitur, inquit, omnium non eges pecuniâ? Ne egerem, inquit alter, jam tua præſtitit benignitas. Ibi Rex verſus ad alios: Næ ego ſum, inquit, Regum omnium magnificentiſſimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium. Hic magis accenſa ſpes eſt omnibus, futurum, ut pecunia cæteris diſtribueretur, quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum ubi ſatis diu luſiſſet Rex, coëgit Cancellarium, ut totam eam ſummam domum aufferret. Moxque verſus ad cæteros jam mœſtos: Vobis, inquit, erit alia expectanda occaſio.

Va-

Vanus Jactator.

QUidam gloriatus eſt, ſe luſtraſſe totám ferè Europam, maximeque Italiam. Interrogabatur de Venetorum urbe, magnificisque ædificiis. Ad quod inquit: Non poſſum plura dicere de Venetiis, eam enim urbem, non niſi ſemel, ſub crepuſculo veſpertino tranſivi equo: Quod cùm alii impoſſibile dicerent, eò quòd urbs mari circumdata, equorum ingreſſum & egreſſum non admitteret. Dixit ergo: fuiſſe hyemem eo tempore, dum tranſiſſet, atque ſuper glacie equitaſſe ad urbem. Quid juvat multa de ſe jactare, quæ vera non ſunt?

Puella jocoſa.

QUidam minatus eſt puellæ, ſe ad eam noctu clam venturum, illa ſub interminatione mortis prohibuit:

hibuit: quâ cultrum ſub lecto ſe collocaturum, quo eum interimat, teſtatur. Ille verò noctu veniens, invenit eam jacentem, quæ altum ſomnium finxerat: Undè calidè ſe ſimulaverat exiturum. Cui exeunti, puella evigilanti ſimilis, dixit; Mane: quia non habeo cultellum.

Gallus.

QUidam Francigena (uti eſt genus hominum fallax & verſutum) in civitate Ficino à quodam cive centum aureos mutuò accepit, oppignorando ei aureum torquem: atque illius uxorem accedens, dixit: Hoc accipe, centum atque unam noctem voluntati meæ obſequaris. Mulier prædæ dulcedine capta (cum ſit nummus optimum expugnandæ pudicitiæ inſtrumentum) conſenſit. Francus poſtrindè expletâ libidine virum acceſſit, ſuum tor-

torquem exegit, quoniam aureos omnes uxori illius reddiderit, quæ conventa non potuit negare, fruſtraque Franco fuit obſequioſa.

Mulier contraria.

ALter uxorem, quæ in flumine perierat, quærens, adverſus aquam proficiſcebatur. Tum quidam admiratus, cum deorſum ſecundum aquæ curſum illam quæri admoneret, nequaquam hoc modo reperiretur, inquit. Ita enim dum vixit difficilis ac moroſa fuit, reliquorumque moribus contraria, ut nunquam niſi contrario & adverſo flumine, etiam poſt mortem ambulet.

Advocati reſponſio.

QUidam advocatus, poſt multas cauſas, in quibus victor evaſit, Monachus factus eſt; & cum

in

in negotiis monaſterii præpoſitus, multis in cauſis ſuccubuiſſet, interrogatus eſt ab Abbate: Cur omnino in cauſis agendis mutatus eſſet? Reſpondit ille: Non audeo mentiri, ut anteà.

Vinolenti dictum.

QUidam homo facetus, cùm diverſis vini generibus ſe ingurgitaſſet, ita, ut diutius continere non poſſet: dixit aſtantibus ſodalibus ad vina bibita; inite inter vos concordiam, aut ego vos è feneſtrâ præcipitabo.

Judæus coactus.

IN urbe quadam Judæus inciderat in cloacam, & quidem in ipſorum Sabbato. Venerunt igitur Júdæi ad Magiſtratum, & petiverunt mandari aliquibus Chriſtianis in urbe, lictoribus, aut aliis miniſtris pub-

publicis, ut extraherent eum. Epiſcopus miratus impudentiam, quærit, quare vultis eum extrahi à noſtris? quia, inquiunt, nos ſervamus ſabbathum. Epiſcopus inquit, & ego prohibebo meis omnibus, ne in hac re, vel hodie, vel cras faciant, quod petitis. Hodie non debet fieri, quia veſtrum eſt Sabbatum: Cras prohibebo fieri, quia eſt noſtrum Sabbatum. Ita cogebantur ipſi extrahere eum, ne periret.

Simplicitas ſuſpendendi.

Fur quidam die ſequenti ſuſpendendus petivit novos calceos pridiè quàm ſuſpenderetur, allatis duobus paribus, utrumque diligenter inſpexit, & eos qui craſſiores durioreſque habebant ſoleas, elegit, propterèa quòd eſſent durabiliores, cùm tamen ejus vita vix unam.

unam noctem cum paucis horis eſſet duratura. Alius appoſito pane albo & ſimilagineo, farinam ſollicitè deterſit, cum tamen die ſequenti ſuſpendendus eſſet: cauſam ſubjiciens: quia farina, inquit, & farinacea creant calculum.

De quodam fure.

ERat cuidam furi aditus ob neſcio cujus hominis familiaritatem, in Comeſtabilis Neapolitani palatium: ubi aulici ſingulis noctibus luſum in multam usque noctem producebant. Quatuor ſtabant eo in conclavi menſæ, ſericis ſtragulis opertæ, & binis candelabris argenteis inſtructæ, his ille jamdiu inſidias ſtruxerat: quæ tandem ſucceſſerunt. Curavit ſibi duo ejuſdem omninò figuræ & magnitudinis candelabra è ſtanno fieri: quæ ſecum ferens, in angulum aliquem dum

dum luſus ferveret, ſecedebat, omnibus ipſum è ludentibus miniſtris aliquem eſſe credentibus. Quadam nocte duo ludentium in unâ menſarum quum deficiente candelâ novam rogaſſent, nec quiſquam præter pediſequum in angulo ſtertentem præſto eſſet, accurrit, & candelabra foras portans, argenteis in ſaccum conditis, ſtanneis candelas imponit, ſicque in menſam reſtituit, indè cautiſſimè, tanquam feles è columbario, ſe ſubducit. Ne verò furtum diſpaleſceret, tàm hæc quàm alia alibi à ſe ſubducta vaſa argentea in unam maſſam conflavit, ſine periculo aut ſuſpicione poſtea vendendam.

Facilis emptio.

MAccus cum veniſſet in civitatem, quæ dicitur Leidis, ac vel-

vellet novus hoſpes innoteſcere joco quodam (nam is erat homini mos)ingreſſus eſt officinam calcearii, quem ſalutat. Ille cupiens extrudere merces ſuas rogat nunquid vellet? Macco conjiciente oculos in ocreas ibi penſiles, rogat Sutor, num vellet ocreas? Annuente Macco, quærit aptas tibiis illius : inventas alacriter protulit, & ut ſolent, induit illi. Ubinam Maccus eleganter ocreatus, quàm belle inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis ſoleis. Rogatus an & calceos vellet ? annuit. Reperti ſunt, & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacitè gaudens, ſuccinebat illi laudanti, ſperans prœmium æquius, poſtquam emptori tantoperè placeret mox. Et jam erat nonnulla contracta familiaritas. Hic Maccus, dic mihi, inquit, bona fide,

de, nunquam ne uſu venit tibi, ut quem ocreis & calceis ad curſum ſic armaſſes, quemadmodum nunc armaſti me, abierit non numerato pretio? Nunquam ait ille. Atqui ſi fortè inquit, veniat uſu, quid tu tum faceres? Conſequerer, inquit, Calcearius, fugientem. Tum Maccus, ſerione iſta dicis, an joco? Planè ſeriò, inquit alter, loquor, & ſeriò facerem. Experiar, ait Maccus, en pro calceis, præcurro, tu curſu ſequere, ſimulatque cum dicto conjecit ſe in pedes. Calcearius è veſtigio conſequutus eſt, quantum poterat, clamitans, tenete furem, tenete furem. Ad hanc vocem cum cives proſiliiſſent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne quis manus injiceret, ridens ac vultu placido, ne quis, inquit, remoretur curſum noſtrum, certatum eſt de cupa cereviſiæ. Itaque

que jam omnes præbere ſe certaminis ſpectatores. Suſpicabantur autem calceatium dolo clamorem eum fingere, ut hac occaſione anteverteret. Tandem calcearius curſu victus, ſudans & anhelus domum rediit. Maccus tulit bravium.

Judicium de libris.

Quidam dicebat: nullum eſſe librum, qui non aliquâ parte prodeſſet, ſed plurimi ſunt, qui ex libro quantumvis bono nihil venantur, niſi quod reprehendant, benè igitur Nicolaus Caſtelli ante Comedias Molieri contra criticos:

Fate meglio, ſe potete,
O la lingua al O tenete.

Improperatio calvi.

Rixabatur cum altero calvus, qui, poſtquam varias calumnias à calvo ſuſtinuiſſet, tandem pertæſus

inquit, cujus equidem tu farinæ ſis, indicio fuere crines tui, qui profectò ſapienter egerunt, quod adeò nequam caput deſeruerint.

Doctorandus Molieri.

Præſes.

Virtuoſiſſimi Doctores,
Medicinæ Profeſſores,
Qui hic venuti eſtis,
Et vos alteri Signores,
Sententiarum facultatis
Fideles eſecutores,
Chirurgiani, & Speziaſi
Atque tota compagnia etiam,
Salus honor & argentum
Atque bonum appetitum.
Non poſſum, docti fratelli,
In me ſatis admirari
Qualis bona inventio
Eſt Medici Profeſſio;
Quam bella coſa eſt, & benè trovat,
Medicina illa benedicta,

Stu-

Quæ ſuo nomine ſolo
Stupendo miraculo;
Dopo ſi longo tempore,
Facit à macca vivere
Tantas gentes omni genere.
Per totam terram videmus.
Grandam vogam ubi ſumus;
Et quod grandes & picciolini,
Sunt de nobis impazziti.
Totus mundus currens ad noſtros remedios.
Nos rimirat ſicut Deos
Et noſtris ordinibus
Principes & Reges ſummiſſos videtis.
Atque ideò, id eſt noſtræ ſapientiæ.
Boni ſenſus, atque prudentiæ,
De fortemente travagliare,
Ad vos benè conſervare
In tali credito voga, & honore,
Et bene guardare di non ricevere
In noſtro docto corpore,

Quam perſonas capabiles,
Et totas dignas riempire,
Has piazzas honorabiles.
Eſt perciò, che nunc convocati
eſtis,
Et credo, quod trovabitis,
Dignam materiam Medici,
In ſapienti homine, che voi vedete
qui:
Il quale in coſis omnibus
Dono ad interrogandum,
Et à fondo examinandum
Voſtris capacitatibus.

Primus Doctor.

Si mihi licentiam dat Dominus,

Præſes.

Et tanti docti Doctores,
Et aſſiſtentes illuſtres,
Sapientiſſimo Baccelliero,
Quem eſtimo, & honoro,
Domandabo cauſam, & rationem,
Opium facit dormire? (quare

Bac-

Baccellierus.

Mihi à docto Doctore
Domandatur cauſam, & rationem, quare
Opium facit dormire?
Al che reſpondeo,
Quia eſt in eo
Virtus dormitiva,
Cujus eſt natura
Senſus addormire.

Chorus.

Bene, bene, bene reſpondere,
Dignus, dignus eſt entrare
In noſtro docto corpore.

Secundus Doctor.

Domino Præſidi, quale non è ancor fatto,
Mà benignè annuat,
Cum talis Doctoribus ſapientibus,
Et aſſiſtentibus benevolentibus,

Dicat mihi un pochetto Dominus
Prætendens,
La ragione à priori, & evidens,
Cur Rhabarbara, & la Sena,
Per nos ſemper eſt ordinata,
Ad purgandum l' utramque bile?
Si dicit hoc, erit valdè habile.

Baccellierus.

A Docto Doctóre, mihi, qui ſum
prætendens,
Domandatur la ragione à priori &
evidens,
Cur Rhabarbara, & la Sena,
Per nos ſemper eſt ordinata,
Ad purgandum l' utramque bile?
Et quod ero valdè habile.
Reſpondeo vobis,
Quia eſt in illis
Virtus purgativa,
Cujus eſt natura
Iſtas duas biles evacuare.

Cho-

Chorus.

Bene, bene, bene reſpondere,
Dignus, dignus eſt entrare
In noſtro docto corpore.

Tertius Doctor.

Ex reſponſis, compariſce jam ſole clarius,
Quod lepidum iſte caput, Baccellierus,
Non paſſavit ſuam vitam ludendo à sbaraglino;
Nec in pigliando del Tabacco.
Sed explicet, perche furfur macrum, & parvum lac,
Cum Phlebotomia, & purgatione humorum,
Chiamantur à Medicantibus, Idola Medicorum,
Nec non pontus aſinorum?
Se primiera mente, grata ſit Domino Præſidi,
Noſtra libertas queſtionandi;

Pariter, Dominis Doctoribus,
Atque de tuttis ordinis benignis auditoribus.

Baccellierus.

Querit à me Dominus Doctor
Chryſologus, id eſt, che dicit d'oro,
Quare paruum lac, & furfur macrum,
Phlebotomia, & purgatio humorum,
Appellantur à Medicantibus, Idola Medicorum,
Atque pontus aſinorum?
Reſpondeo, quia
Iſta ordinando non requiritur magna ſcientia,
Et ex illis quatuor rebus,
Medici faciunt Filippos, Doppias & Quartos di Scudi.

Cho-

Chorus.

Bene, bene, bene reſpondere,
Dignus, dignus eſt entrare
In noſtro docto corpore.

Quartus Doctor.

Cum permiſſione Domini Præſidis,
Doctiſſimæ facultatis,
Et totius hic noſtris actis
Compagniæ aſſiſtentis,
Domandabo tibi, docte Baccelliere,
Quæ ſunt remedia,
Tam in homine, quàm in muliere,
Quæ in malattia,
Dicta hodropiſia,
In malo caduco, Apoplexia,
Convulſione, & Paraliſia
Convenit facere?

Baccellierus.

Cliſterium donare,
Poſtea ſalaſſare,
Finalmente purgare,

Digitized by Google

Chorus.

Bene, bene, bene reſpondere,
Dignus, dignus eſt entrare
In noſtro docto corpore.

Quintus Doctor.

Si bonum paretur Domino Præſidi,
Doctiſſimæ facultati,
Et compagniæ præſenti,
Domandabo tibi, docte Baccelliere,
Quæ remedia Colicoſis, Febroſis, Eticis,
Maniacis, Nephriticis, Phreneticis,
Melancholicis, Dæmoniacis,
Aſtmaticis atque pulmonicis,
Catarroſis, Tuſſiculoſis,
Guttoſis, Ladris, atque Rognoſis,
In Apoſtematis, piaghis & ulcera,
In omni membro mutilo aut fractura
Trovas à propoſitum facere?

Bac-

Baccellierus.

Cliſterium donare,
Poſtea ſalaſſare,
Finalmente purgare.

Chorus.

Bene, bene, bene reſpondere,
Dignus, dignus eſt entrare,
In noſtro docto corpore.

Sextus Doctor.

Cum bona venia reverendi Præſidis;
Filiorum Hippocratis,
Et totius coronæ nos admirantis,
Petam tibi, reſolute Baccelliere,
Non indignus alumnus di Monpeliere.
Quæ remedia cæcis, ſurdis, mutis,
Et ſtroppiatis; claudis, atque omnibus Egrotis,
Pro callis pedum, malum de dentibus, Peſte, Rabie,

Et nimis magno commotione in omni novo matrimoniato
Convenit facere?

Baccellierus.

Cliſterium donare,
Poſtea ſalaſſare,
Finalmente purgare.

Chorus.

Bene, bene, bene reſpondere,
Dignus, dignus eſt entrare,
In noſtro docto corpore.

Septimus Doctor.

Super illas maladias
Dominus Baccellierus dixit maraviglias?
Ma ſe non annoio Dominum Præſidentem,
Doctiſſimam Facultatem,
Et totam honorabilem,
Compagniam aſcoltantem,
Faciam illam unam queſtionem,

De

De hieri malatus unus
Qui cadit in meas manus,
Habet grandam febrem cum rad-
doppiamentis,
Grandem dolorem capitis,
Et grandum malum ad latum,
Cum granda difficultate,
Et pena di reſpirare:
Voglias mihi dicere,
Docte Baccelliere,
Quid illi facere?

Baccellierus.

Cliſterium donare,
Poſta ſalaſſare,
Finalmente purgare.

Idem Doctor.

Ma ſi maladia
Oſtinatia,
Non vult ſe guarire,
Quid illi facere?

Baccellierus.

Cliſterium donare,
Poſtea ſalaſſare,
Finalmente purgare.

Chorus.

Bene, bene, bene reſpondere,
Dignus, dignus eſt entrare,
In noſtro docto corpore.

Præſes.

Juras guardare ſtatua,
Per facultatem præſcripta,
Cum ſenſu & indicamento?

Baccellierus.

Juro.

Præſes.

Eſſere in omnibus
Conſultationibus,
Anziani auviſo,
Aut bono,
Aut malo?

Baccellierus.

Juro.

Præſes.

Ego, cum iſta Berretta
Venerabili & docta,
Dono tibi & concedo
Virtutem & Potentiam,
Purgandi,
Salaſſandi,
Tagliandi,
Stroppiandi,
Et Occidendi,
Impune per totam terram.

Quidam ſine pileo cardinalitio Româ reddit.

CUm legatus cujusdam Principis pileum Cardinalitium Romæ pro Archi-Epiſcopo ſollicitans, rediret infectô negotiô, atque graves capitis defluxiones redux pateretur; argutabatur alter inquiens: Non

Maleficus per confeſſionem propriam, triremibus liberatur.

INviſerat quondam claſſem ſuam Dux Oſſundæ, quô conſpectô mox omnes ad remos damnati malefici ſuam prætendebant innocentiam, unicô ſolô exceptô, qui ſe digna malefactis ſupplicia recipere fatebatur. Placuit hæc Duci ſincera Confeſſio, adeò ut à triremibus eum liberandum pronunciaret dicens: Cùm hic ſolus, propriô teſtimoniô maleficus ſit, reliqui verò ſuô judiciô innocentes, indignus ſanè videtur tam honeſtorum virorum conſortio: ſeparetur itaque ab iſtorum communitate, & liber dimittatur; quod & factum.

Mi-

Glorians, ſe Podagram ſcire & poſſe curare.

QUidam Romæ gloriabatur ſe contra Podagram habere medicinam infallibilem; quod audiens Pontifex Lex X. 100000. Coronatorum ab eo mutuò petiit, miratus id Medicus reponebat, ſe totâ vitâ ſuâ tantas nunquam poſſediſſe divitias: Deceptio ergo eſt, ſubinfert Pontifex, tua ars medendi podagram, nam qui novit mederi Podagram, Romano Pontifice ditior ſit, eſt neceſſe.

Reſponſum Caroli Quinti.

MAximilianus Burus Carolum V. ex podagrâ, quâ tenebatur, in cubiculo videns claudicantem, ſubridebat: cauſam riſûs quæſitus à Cæſare, ſibi occurriſſe repoſuit: Romanum nunc in Carolo Imperium claudicare, & tam infirmis fulcris

honorum ſubſellia ultro vocantur, & alii per Ablativum id eſt iniquâ violentiâ vel aſtu aliis dignitatis gradum præripiendo.

Mendici petitum, factum Avaro.

MEndicus quidam à prædivite avaro eleemoſynam deprecans interrogabatur à tenaci illo Euclione, quidnam ſibi dari velit? Quod in tuâ habes poteſtate, reponit egenus : Id equidem nimis multum eſt, vir bone, ſubjungit dives ; Da itaque, quod lubet, replicat mendicus, neque enim immenſas tuas opes deſidero. Benè eſt, ſubinfert Euclio, mihi lubet nihil erogare, hinc do tibi nihil, abi.

Antipathia inter Gallos & Hiſpanos.

APud Ludovicum XII Galliarum Regem Anna Regina ejus uxor acriùs

ſe adepturam ſperabat, ut Claudiam acriùs & ſæpè inſtabat, & tandem filiam (poſteà Franciſci Valeſii conjugem) deſponderet Carolo V. Maximiliani S. Cæſaris nepoti; ſed Rex Sapientiſſimus præſagiens inter Hiſpanios & Gallos nullam poſſe iniri reconciliationem, imò diſcordes perpetuò fore: Tu vis, inquit, fœdus ferire inter feles & mures.

DO-

REPERTORIUM

Doctarum Nugarum

præſentis libri.

Ubi quisque facile invenire poterit, quæ ſuæ apta erunt Phantaſiæ.

Vir reddit mulierem manſuetiorem. 1

Fames optimum eſt condimentum. 6

Declinationes diaboli. 8

Curioſitas generis fœminini. 9

Fraus Chirurgi. 12

Pauper tonſus amore Dei. 14

Nonnulli Lurcones Chriſtum & Apoſtolos repræſentant. 18

Judex Juſtitiam Judæo adminiſtrans. 22

De-

Deſcriptio convivij. 23
Pictoris reſponſio. ibid.
Ridicula Epiſtola. 24
Uxor illudit marito. 26
Reſponſio ruſtici data Nobili. 28
Jurgioſa arcetur mulier. 29
Oratoris dexteritas. 30
Placere omnibus nemo poteſt. 31
Argutia. 33
Dolus furis. 34
Fœminarum fragilitas. 35
An cinerem aut manes credis curare ſepultos? 38
De tribus Bavaris. 41
De quâdam Vacca. 42
Cornua fugienda. ibid.
Delapſus quidam. 44
Fauſti Magia. 46
Maritus in cœlo non vult edere penes uxorem. 48
Quidam cum Aulicis verbera partitur. ibid.
Fur proditus à pileo. 49

Rudes diſcipuli & Magiſter. 50
Ad fures. 52
De Anni qualitate. 53
Medici cujusdam fraus tempore peſtis. 54
Fur verecundus. 56
Simplicitas cujusdam ſacerdotis. ibid.
Lis inter duos mercatores. 57
Epiſtola cujusdam pennalis. 58
Reſponſum argutum. 59
De quodam Italo. ibid.
Simplicitas moribundi. 60
Somnium de theſauro. 61
Cibus propoſitus. ibid.
Ruſticus. 92
Simplicitas Ruſtici. 63
Epiſtola riſu digna. Ibid.
Pedes baculo percuſſi. 64
Simplicitas Studioſi. 65
Familia ingens Adami. ibid.
Dictum ridiculum. 66
Somnium de Gallo fores cœli pulſante. 67

Quinam ſunt ſtulto ſtultiores? 72
Voratoris cujusdam fraus. 74
Vana ſine viribus ira. 75
Pictoris cujusdam ridicula inventio. 76
Caſus ridiculus de quodam ſuſpenſo. 78
Simplicitas cujusdam mariti. 79
Dictum cujusdam. 80
Maritus quotannis percutit mulierem obſtinatam. ibid.
Simplicitas cujusdam Ruſtici. 82
Cauſidici mali. 83
Convivium explicatum. 84
Silentium commendatur mulieribus. 85
Avarus decipitur. 86
Vindicta mariti. 88
Malè parta, malè dilabuntur. 89
Cur molitores non ſuſpenduntur, at cæteri fures? 90
Quid Chymico fecerit Leo X. Pontifex? 91

Dolus Helluonum. 92
Malè parta, malè dilabuntur. 96
Tempus, quô Berta filavit. 97
Ruſtici improperatio. 98
Paruchi lepidum inventum. 99
Pellis craſſiſſima. ibid.
Ovumne ante gallinam fuerit, aut contra? ibid.
Malus Carminifex. 100
Epitaphium ridiculum. ibid.
Apelles ad Alexandrum. 101
Quid faciendum? 102
Ruſticus ſimplex. 103
Reſponſio ingenioſa. ibid.
Vorax. 104
Libertas. ibid.
Cibus Tyrannorum & diabolorum. 105
Ridicula Epiſtola cujusdam Penaliſtæ. ibid.
De quodam Advocato. 111
Gonella factum. 112
Reſponſio Doctorandi. 113
Reſponſio arguta. 114

Concionatoris modus reum invenien-
di. ibid.
Tubicen civilis. 116
Acuta reſponſio. 117
Servus ridens. 118
Lis in favorem accipientis. 119
Ridicula interrogatio. 120
Conſuetudo altera natura. ibid.
Reſponſio arguta. 122
Deceptor decipitur. 123
Simplicitas cujusdam Suevi. ibid.
Simplicitas quorundam. 124
Concionator parùm facundus. 125
Reſponſio ſponſæ. 126
Reſponſio arguta Clerici. ibid.
Aſtutia mulieris deluſa. 127
Miles ſtrenuus. 128
Fraus. ibid.
Corollarium Grammaticum. 130
Corollarium Dialecticum. 131
Marci aſtutia. ibid.
Venetus Phantaſta. 132
Dirimitur lis quædam ridiculè. 133

Mi-

Mira tractatio mariti. 134
Aſini & Leonis certamen. ibid.
Simplicitas Sabaudi. 135
Incolarum ſimplicitas. 136
Interrogotio & reſponſio conſentiunt. 137
Furis dexteritas. 138
Malè orans. 139
Corollarium Politicum. ibid.
Corollarium Hiſtoricum. 140
Ratio ridicula cornuto data. ibid.
Corollarium Juridicum. 141
Corollarium Medicum. 142
Corollarium Phyſicum. ibid.
Superbus irridetur. ibid.
Corollarium Metaphiſicum. 143
Corollarium Philologicum. 144
Uxor deplorat maritum tanquam defunctum. ibid.
Corollarium Geometricum. 145
Corollarium Theologicum. ibid.
Hoſpitum fraus. ibid.
Merces labori reſpondet. 147

Maritus ſimplex Ficus credens venenatas comedit. 148
Maximiliani reſponſum. 150
Mendacium. 151
Scriptum quoddam ridiculum ad collegam. 153
Verba Sidonii de Luſu. 156
Epiſtola incompta. 158
Mendax corrigitur. 159
Contra vinum Bohemicum conqueritur Italus in Bohemiâ. 163
Correctio ob annulum. 164
Gallina aurea pariens ova. 166
Oſculum indecens. ibid.
Epiſtola cujusdam Pennalis. 167
Militis dictum. 169
Pennalis epiſtola. ibid.
Fur perfectus. 174
Mulieris argutia. 176
Mulier illudens marito. ibid.
Ejusdem repetitus dolus. 178
Judices ſchmiralia amant. 179
Amator vini. 180

In-

Interrogatio. 181
Quæ caſu fiunt, excuſabilia ſunt. 182
Maritus quærit uxorem adverſus flumen. 183
Meretrix quid ſit & undè? ibid.
Helluonis aſtutia. 185
An non omnis mutatio bona? 186
Vinum triplex. ibid.
In Germania cur tanta copia mendicorum inveniatur? 187
Excuſatio pigri Adoleſcentis. 188
Verſus Leontinus de amore. 189
Concordia inter animalia ſibi alias contraria. ibid.
Corollarium Rethoricum. 190
Corollarium Muſicum. 191
Lachrymæ Mulierum fallaces. ibid.
Corollarium Arithmeticum. 192
Corollarium Aſtronomicum. ibid.
Quis melius habiturus ſit ſomnium? ibid.
Pertinacia Fœminæ. 195

Fluiditas cujusdam Poëtæ. 197
Cur beani aut cornuti careant dentibus? 198
Machi ridicula deluſio. ibid.
Pueri culinæ ſapiens reſponſio data Regi. 199
Excuſatio ob potum aquæ. 200
Viſus debilis. 201
Pater tentat ſcientiam filii. 202
Mulieres cur rarò, ſenes crebrò inebrientur? 203
Simplicitas cujusdam ſervi. ibid.
Memoria. 205
Ut ſeris ita metes. ibid.
De morbis hujus anni. ibid.
Paſtoris ſimplicitas. 207
Invitatio cujusdam ad prandium. 208
Reſponſum ruſtici datum cuidam Virgini. ibid.
Cum mulieribus infacundis quid agendum? 209
Mariti omnes mulierem timent. 210

Ad-

Advocati volunt dona. 211
Plato avarus. 212
De quôdam Judæo. ibid.
De quibusdam Bohemis. 213
Abbatis ſubtilis reſponſiò. 214
Bacchanalia. ibid.
Prudentia Selymi. 215
Filius monet Patrem de verberatione matris. 216
Quot ſunt mundi? ibid.
Piſtor veritatem non patitur. 217
Imprecatio Ruſtici. 218
Religio generis fœminini. 219
Teſtamentum Porcelli. ibid.
Fur prima Claſſis. 220
Latinitas cujusdam Pennalis. 222
Invitatio Ridicula. 225
Epiſtola Ridicula. 226
Somnium. 228
Aſtutia aurigæ deprehenditur. ibid.
Contentio inter Chriſtianum & Hebræum. 231

Re-

Reſponſio interrogati : Mater cujus ſit generis? ibid.
Simplicitas filii. 232
Reſponſio acuta. 233
Ludovici XI. Regis Galliæ cura de ſanitate. ibid.
De pecuniâ in terram defoſſâ. 236
Aſtutia mulieris. 238
Habitus facit virum. 239
Suvus famelicus. 241
Rudis Epiſtola. ibid.
Mendax. 243
Utrum ultra Rauſcherum, ut vocant, bibere liceat? ibid.
De pediculo & pulice. 244
Ridicula Epiſtola. 249
Ignorans. 249
Servus inutilis. 250
Prætoris licentia. ibid.
Caupona mucoſa. 252
Regis Ludovici præmium. 253
Vanus Factator. 256
Puella jocoſa. ibid.

Gallus. 257
Mulier contraria. 258
Advocati reſponſio. ibid.
Vinolenti dictum. 259
Judæus coactus. ibid.
Simplicitas ſuſpendendi. 260
De quodam fure. 261
Facilis emptio. 262
Judicium de libris. 265
Improperatio calvi. ibid.
Doctorandus Molieri. 266
Quidam ſine pileo cardinalitio Româ redit. 279
Argutum reſponſum cujusdam Abbatis. 280
Maleficus per confeſſionem propriam, triremibus liberatur. 281
Mirus agendi gratias, modus. 282
Alphonſi ad Judæum dictum. ibid.
Glorians, ſe Podagram ſcire & poſſe curare. 283

Re-

Reſponſum Caroli Quinti. *ibid.*
Gradus dignitatis. 284
Mendici petitum ſatum Avaro. 285
Antipathia inter Gallos & Hiſpanos. *ibid.*

FINIS.

Digitized by Google

005656590

Digitized by Google

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
OSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN

Digitized by Google